

Les Bibliothèques Virtuelles Humanistes

Extrait de la convention établie avec les établissements partenaires :

- ces établissements autorisent la numérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de manipulation des documents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les images résultant de la numérisation seront dûment référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré comme une « oeuvre » (numérisation, traitement des images, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et administrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est soumise à autorisation.
- toute utilisation commerciale restera soumise à autorisation particulière demandée par l'éditeur aux établissements détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques compétents.

Copyright - © Bibliothèques Virtuelles Humanistes







et d'


D A M I A N I

A G O E S E Q V I T I S L V.
S I T A N I A L I Q V O T O P V S C V L A.

- * Fides, Religio, moresq; Aethiopum.
 - * Epistolæ aliquot Preciosi Ioannis, Pauli Louio & ipso Damiano interpretibus.
 - * Deploratio Lappianæ gentis.
 - * Lappiæ descriptio.
 - * Bellum Cambaicum.
 - * De rebus & imperio Lusitanorum ad Paulum Louium disceptatiuncula.
 - * Hispaniæ ubertas & potentia.
 - * Pro Hispania aduersus Munsterum defensio.
Omnia ab ipso autore recognita.
 - * Item aliquot Epistolæ Sadoleti, Bembi,
& aliorum clarissimorum uirorum, cum Farragine carminū ad ipsum Damianū.
- L O V A N I I
Ex Officina Rutgeri Rescij, Anno 1544.
Mens. Decemb.

NO S Decanus ceteriq; sacrae Theologicae facultatis doctores
in hac celebri Louanien. uniuersitate Regentes, Vniuersis
et singulis cuiusvis ordinis ac religionis salutem, & Chris-
sti seruatoris nostri pacem. Notum uobis facimus, librum, quem D.
Damianus a Goes eques Lusitanus de Fide, Religione, moribusq; Ac
ethiopum latinum fecit, a nobis, ipsomet domino Damiano petente,
cum adhuc impressus non esset, iuicatum, examinatumq; diligentia o-
mni adhibita fuisse. Cuius lectio hic per nos approbata fuit, cum li-
ber ipse contineat narrationem eorum quae cognitione digna sunt.
Et quoniam haec uera sunt, denuo hac nostra approbatione, cui sigil-
lum facultatis nostrar; quoq; adiunximus, iterum testamur eundem
ipsum librum talē esse, qui sine aliqua oppositione passim per
totum orbem legi & deportari possit. Datum Louanij An-
no et nauitate Domini M. D. X L I.

Mensis Iulij, die 12.
Iohannes van Hove dictae sacrae Theogicae fa-
cilitatis Bedellus & Notarius.



DAMIANVS

A GOES EQVES LVSITA

nus Paulo Pontifici Romano Tertio
S. P. D.



VLLA H A V D DV BIE E S T
res, in qua uberius nit̄ debeamus,
q̄ ut totus terræ orbis (si id aliter sile
ri non poterit) labore, sumptu, mar
tyrio, ac omnium nostrum cruciat̄-
bus, ad Christi fidem alliciatur, allectusque ut sub
unum ordinem, & uiuendi ritum redigatur. Cu-
sus rei cura, tibi Paule Pontifex Maxime, qui ut
primus Episcopus, & Christi uicarius, eius uni-
uersali Ecclesiæ præsides, cæteris nobis omnibus
magis debetur. Quamobrem tuum est officium,
(quod etiam iam cum magna spe omnium incep-
sti) calamitatibus, quotidie ipsius Christi ouili o-
currentibus mederi, & opera, & studio tuo ef-
ficere, ut ipsi soli Christo totus mundus pareat,
ac credat. cum uero crediderit, ut tibi monitis-
que tuis, ueluti Petri successoris, in omnibus quæ
ad salutem animarum spectant, obediāt. Quod
cum euenerit, dicemus te autore, prophetiā unius
pastoris, & ouilis adimplētam esse. Cuius rei pal-
mam si obtinueris, quis profecto Pontificiū, te uel
honore, uel felicitate, uel merito anteibit? uel cui tri-
plicem tiarā maiori iure concedemus q̄ tibi? quam
ut cōsequarīs, tempora licet alioquin infelicia, ma-

A ij gnas

EPISTOLA NVNC VPA T.

gnas tibi occasiones nunc præstant, infelicia, inquam, ob eas calamitates, quas in Europa medendas habes. Quæ ut uicinæ maiori certe periculo ecclesiæ imminent. A nemine acrius impetumur, q[uod] a uicino hoste. Nunc uero ut has molestissimas curas, quæ tibi (ut scio) perpetuo eordi sunt, omittamus, ad alias mitiores ueniamus, quæ cum magna spe coniunctæ sunt, ut alter & nouus quodam modo orbis, cum Christi fide, tuæ sanctitatis maiestatem & dignitatē agnoscat. Quas si pro tua prudenter ita tractaueris, ut te quasi gubernatore Ecclesia, tum Europæa, tum Aethiopica, uitatis periculis & naufragijs, in portum salutis ueniat, de te canemus illud Propheticum Sapientiæ canticum, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes spe rantes in Domino. uidete, quoniam non soli mihi laborauimus, sed omnibus exquirerentibus ueritatem. Ad quæ omnia perficienda adest iam demum tempus hoc in quo huiusmodi uaticinia per te adimpliratum iri confidimus. Adsunt hic modo Aethiopes, gens magna & Christi audiissima, cuius sanctissimus Imperator amicitia Europæorum Christianorum cupiens ad te, & ad inuictissimos Reges Lusitaniarum, legatos misit, per quos, ut ex eius epistolis apparet, non tantum sibi Christianam amicitiam & charitatem cupit a Principibus Europæis impertiri, uerum etiam eosdem (quos assidue in acerbissimis discordijs nouit uersari) ad Christianam concordiam plentissime adhortatur. Res sane ob quam omnes, pudore affici debeamus. Surexit

AD PONTIFI. MAX.

texit uero iam Regina Saba, & uocat nos in iudi-
cium, errata nostra reprehendens. Adimplentur
Christi prophetiae, & quos ipse elegit, paulatim ab
ipsius consortio dilabuntur, eiusque praecepta, &
promissa deuoluuntur ad eos, qui Ethnici & a Chri-
sto alieni reputabantur. Is enim Aethiopum Im-
perator, cum omnibus suis regnis, ut ex nostra e-
narratione apparebit, sub tua disciplina uiuere cu-
pit, nec quicq[ue] magis optat. Nec etiam ignorat ex
Apostolorum doctrina, quam in octo libris dige-
stam habet, Episcopo Romano, omnium Episcopo-
rum totius orbis principatum deberi, cui plane
sancteq[ue] parere uult, ab eocq[ue] in Christi Ecclesie in-
stitutis, bene & sancte instrui, & ad id insuper ui-
ros doctos sibi dari orat, atq[ue] exorare auide affe-
ctat. Nec eo contetus, ut suarum etiam postulatio-
num in posterum extet memoria, petit, ut huius
rei fides maneat in Pontificum Annalibus, ut sic
ab historia Ecclesiastica, eius epistolae, ac p[re]fissima
optata illuminentur, & posteritas intelligat, quo
tempore, sub quoq[ue] Pontifice haec gesta fuere. Vi-
ros autem doctos, sacrarumq[ue] literarum disciplina
& aliarum artiu[m] bene instructos, non dubito, quin
tua sanctitas iam ad eum transmiseris, aut omni-
no sit missura. Quorum doctrina & industria, si-
mul cum sermone & labore nonnulloru[m], quos iam
serenissimi Reges Lusitanie Emanuel & Ioannes
eius filius miserunt, facies ut omnes Christiani in
Aethiopia & India degentes, sensim legibus & in-
stitutis Romanorum Episcoporum (quos Christi
uicarios non reformati fateri) pareant. Quibus
tandem

EPIST. NVNC. AD PONT. MAX.

tandem tua opera nobiscum per ueram religionem
coniunctis, ac in uno ouili simul, & sub uno pasto
re Christo congregatis, intelligemus super nos
omnes Domini misericordiam confirmatam, &
eius regnum omnium s̄eculorum, & dominatio,
nem eius omnium generationum esse, & tunc oīs
caro benedicet nomini sancto eius in s̄ecula. Et ne
prolixior sit exhortatio mea q̄ oportet, pr̄sertim
ad eum, cuius uitæ ac doctrinæ omnes imitatores
sumus, & esse debemus, ad exordium enarrationis
me conferam, quam aliquantulo altius repetam,
ut sic clarius ostendam, quibus principijs hæc san
ctissima Preciosi Ioannis, & Regum Lusitaniae
amicitia & foedera inita sint, sperans me, dum que
uera & legitima sunt, enarro, animos legētium
incendere posse, & ad huiusmodi munera
allicere, quo Christi fides uberioris in
omnibus terræ angulis propa
getur, pr̄dicetur,
colaturq;.



FIDES, RE^U

LIGIO, MORESQUE AETHIOPVM.



NNO ab ortu Seruatoris humani generis Christi 1433. uita functo Ioanne Lusitaniae Rege eius nomi nis primo, cognomento bonæ memoriæ, qui Lusitaniam a Castellanorum incur sionibus, oppugnationibusq; , quibus eam fer me totam populauerant, liberauit , inter alios, quos reliquit filios, Henricus ceteris omnibus, in disciplinis, præcipue Mathematicis doctior fuit, qui propter sola astrorum studia coelebs ui xit, ac ut cursus stellarum accuratius meditare tur, uitam in sacro promontorio , quod caput Sancti Vincentij dicitur, egit, quem locum pro pterea, quod in eo coelum raro turbidum effici tur, elegit, ne nubibus interpositis instrumētis, quibus ad rationem eius muneris utebatur, con sideratio coelestium cursuum impediretur. Is autem Henricus, ut fructus studiorum suorum ca pesseret, id quod iam ex multis vigilijs comper tum habebat, nempe Atlanticum Oceanum, in Indicum, rursus Indicum in Atlanticum pro fluere, nauibus proprijs suis, ac sumptibus con stituit inuestigare. quibus iterum acq; iterū mis sis, bonam partem litoris Atlantici penetrauit,

im

DAMIANI A GOES

in quo oppida, & ciuitates, insulæq; permultæ
reperię sunt. Quibus in locis omnibus Christi
fides eius opera innotuit, inibicq; templo quoq;
erecta sunt, præsertim in insulis olim desertis,
quarum prima insula Lignorū, quę uulgo Ma-
deira uocatur, nūc celeberrima & frugifera est.
Tandem ut sunt res mortalium instabiles, an-
no salutis nostræ 1460. die 24. Octob. morte
interceptus has nauigationes, quoniam expers
matrimonij erat, ad coronam regni, tanq; fun-
dum hæreditarium transmisit. que per manus
traditæ, ad tempus Ioannis secundi eius nomi-
nis, sine aliqua externorum Regū, ac principum
emulatione, aut inuidia deriuatę sunt. Quo Re-
ge uiuente, Columbus Genuensis, uir nauticę ar-
tis peritus, ab ipso Rege, cui Occidentalium In-
diarum nauigationes ostendere pollicebatur, re-
pulsus, ac inauditus, dimissusq; auxilio, auspi-
ciocq; Ferdinandi, & Elizabet Regum Castel-
læ, illud iter feliciter tentauit, ac prouincias il-
las amplissimas, & magni emolumenti primus
repperit, & qua natiibus adiri poterant, cōmon-
stravit. Is autem Ioannes cum diu animo uol-
uisset res Orientalium Indiarum, de quarum u-
bertate scriptis antiquorū, multa & uaria pro-
dita erant, inter alios immensos labores, & sum-
ptus, quibus non pepercit, viros aliquot lingua
Arabi

DE AETHIOPVM MORIB.

Arabica edoctos, ad illas prouincias, presertim
ad Preciosum Ioannem mittere decreuit. Quo
rum duo fuerunt, Alfonsus a Paiua, natus ex
Albo Castro. Alter uero Ioannes Petrus a Co
uilham, uterq; Lusitanus. Ii Schalabitano, se
ptimo die Maij, Anno a Seruatoris Christi or
tu millesimo, quadringentesimo, octogesimo sex
to, iter suum facere auspiciati sunt, & mercato
res se semper simulates, primum Barchino na,
inde Neapolii, postea Rhodo, demum Alexan
dria iter facientes, Cayru peruererunt, ibi mer
catorum sodalitium nacti, uersus Thor iter ce
perunt. In quo loco naui consensu, ad quādam
urbem, nomine Cuaquen, in littore Aethiopi
co sitam appulerūt. Postea Adenem nauigant,
inde Alfonsus iterum in Aethiopiam ad Preci
osum Ioannē, Ioannes uero Petrus in Indiam
proficiisci inter se constituunt. Ioannes aut̄ Cal
lecutio, Goa, ac toto Malabarorum littore per
uestigato, Zofalā nauigauit, Inde rursus Ade
nem, hinc recta Cayrum profectus est, ut sodali
suo inuento, in Lusitaniam ad Regem redirent,
(statuerant enim cum Adenē discessissent, certo
quodā tempore, ad eundē Cayri locum conue
nire) quo cum reuerterentur, a duobus Iudaeis
Lusitanis, quorum alter Rabbi Abraham uoca
batur, Beiensis, alter Ioseph Lameçensis, literas
B Regis

DAMIANA GOES

Regis Ioannis accepit, ab eisq; intellectus, collegam suum Alfonsum inibi uitam morte commutasse, Isdem literis præceptum erat ne in patriam redirent, nisi Oromuzia perlustrata, ac Precioso Ioâne salutato, de cuius statu Rex autissime cupiebat certior fieri. Qua de causa Ioannes Petrus ignorans quæ Alfonsus eius collega, dum utueret, gesserat, iterum Adenem Rabbi Abraham socio repetit. Iosephum uero cum literis, quibus itinera sua, actaç significabat, ad Regem remittit. Unde quadam naui consensa, in Oromuziam nauigauit. In quo loco Abraham Iudço relicto, cui literas quoç ad Regem tradidit, Mecham uersus nauigare constituit, quam cum iam in oculis haberet, cupido eum in cessit montis Synai uidendi. inde discessum est Thor. Rursus nauigatiōe usus, fauibus maris Erythræi transmissis Zeilam peruenit. reliqua deinde itinera usq; ad aulam Preciosi Ioannis pedibus emensus est, qui tunc temporis Alexander uocabatur, cui humanissime acceptus, literas quas habebat a Ioanne rege, tradidit, eiç topographiam, quam uulgo mappam uocat, quonostras navigationes perspiceret, in manus dedit. Is autem Alexander cum statuisse eum remittere, ne id faceret morte preuentus est. Quo mortuo frater in eius locū successit, cognomeno-

to

DE AETHIOPVM. MORIB.

to Nau, sed ab eo nunquam idem Ioannes Pe-
trus potuit facultatem in patriā redcundi impe-
trare, eocq; extincto, idem illi a filio Dauide re-
gni hærede, denegatū fuit. Donatus igitur am-
plissimis munib; quæ illi ad patriæ deside-
rium leniendum concessa fuere, (quando exire
prouinciam non licebat) uxorem nobilem du-
xit, ex qua q; plurimos filios suscepit. Hunc no-
stri oratores, in ipsa aula Preciosi Ioannis inue-
nerunt, & allocuti sunt. A qua discedentes , an-
no M. D. XXVI. salutis nostræ, eum liben-
ter in patriam reduxissent, atq; ipse quoq; eo re-
deundi, percupidus erat. sed id a Dauide obtine-
re nunquā valuerunt, respondente ad ipsorum
preces, se illum virum, una cum regnis suis, a pa-
tre Nau accepisse , eumq; pari cura , & amore
cum ipsis regnis seruare uelle, nec debere illum
tædere Aethiopicæ uitæ, apud quos tum a pa-
tre, tū ex sua liberalitate amplas diuitias, & di-
tiones accepisset. Is ut nostri asserunt, omnium
hominum ferme linguas callet, quia de causa, &
præcipue ob eius eximiam prudentiam, tam aui-
de ab Aethiopie Imperatorib; retentus fuit,
unde res Lusitanicas eorūq; nauigationes exa-
ctissime cognouerunt, quibus saepius recensem-
dis, ut doctus & eloquens erat, Aethiopum
nationem nobis conciliauit.

Postmodum
Bij Ioan

DAMIANI A GOES.

Ioānne secundo Rege mortuo, in eiusq; locum
Emanuele felicissimo succedente, classe, cui præ
erat Vascus a Gama, anno millesimo, quadrin
gētesimo nonagesimo septimo, Vlyssippone sol
uente, capiteq; Bonę spei primo fuperato, ad In
diam Orientalem nostri tandem peruenere. In
qua uaria bella gerētes, multas prouincias ac ci
uitates, sub nostrum imperiū redigerunt. Quæ
cum in Aethiopia, tum per finitimos, tum per
aliquot Lusitanos, qui ad aulam Preciosi Ioan
nis tunc tēporis ex India uenerant, renunciata es
sent, Helena Dauidis avia, quę ob tenellā ipsius
Dauidis aetatem, administrationem regnorum
habebat, quendā Matthēū Armenium, virum
multarū rerum, atq; linguarū peritum, in Lusi
taniam ad Emanuelē Regē misit, & quo ma
ior autoritas, & fides legationi esset, quendam
nobilem iuuenem Abelynum misit, quo sego
sæpius in aula nostra conueni, & familiariter
allocutus sum. Is enim Matthæus uarijs itineri
bus, Goam ad Alfonsum Albuquericum Prore
gem peruenit, a quo humanissime acceptus ac li
beraliter dimissus, nostris nauibus, anno mille
simio quingentesimo decimo tertio, Vlyssippon
em appulit. Is coram Emanuele, legatione sua
exposita, crucem cōcinnatam ex eo ligno, in quo
Christus pependit, Regi dedit, quam crucē fre
quentif

DE AETHIOPVM MORIB.

quentissime uidi, & ueneratus sum, dum frater
meus Fructus a Goes, Regis cubicularius, eam
in sua custodia haberet. Literæ autem sui prin-
cipis, quas secum ad Emanuelem Regem tule-
rat, sic loquebantur.

¶ Epistola Helenæ auia Davidis Preciosi Joannis Aethio-
pum Imperatoris, ad Emanuelem Lusitanorum &c. Regem,
scripta Anno 1509.

IN nomine Dei patris & filij, & spiritus san-
cti, unius solius in tribus personis Dei, salus
gratia, & benedictio domini nostri, & redemp-
toris Iesu Christi, filij Mariae virginis, nati in
domo Bethlehemitica, sit super dilectū fratrem
nostrum Christianissimum Regem Emanue-
lem, dominatorem maris, uictorem ferorum in
credulorumq; Maurorum. Dominus Deus te
bene fortunet, tibi uictoriam de inimicis tuis do-
net, tuac regna & ditiones, per deuotas preces
nuntiorum redemptoris Christi, nēpe quatuor
Euangelistarum, sancti Ioannis, Luci, Marci,
& Matthæi, longe latec dilatet, & extendat,
quorum sanctitates & orationes te seruent. Cer-
tiorem te facimus perquā dilecte frater, ad nos
usque appulisse ex magna illa uestra & eximia
aula duos nuncios, quorum quidem alteri nos-
men erat Ioannes, qui se presbyterum aiebat,
alteri uero Ioannes Gomez, petiſſec a nobis
com-

DAMIANI A GOES

commeatum & milites: Quare nos mittimus nostrum Oratorem Matthæum , fratrē nostri seruitij, cum uenia patriarche Marci, qui nobis dat benedictionē, mittens presbyteros Hierosolymam, qui est pater noster, ac omnium nostrorum ditionum, columna fidei Christi, & sancte trinitatis. Is de nostro mādato misit ad magnū uestrum ducem eorum, qui pro fide nostri seruatoris Iesu Christi militant in India, ad illi significandum, nos esse promptos ad mittendū tum commeatum, tum milites, si necesse fuerit. Pro-

Fuit olim prin
ceps Cayri Sulta
nus, quā ciuitatē
nunc occupat ma
gnus Turca.
inde fama accepimus principem Cayri cogere magnam classem aduersus uestras copias, nimirum ut sese uindicet de iniurijs damnisque, per militiæ tuæ (quam in India habes) duces, sibi (ut uere nobis constat) sape illatis, quod deus sua sancta bonitate indies magis magisque fortunare dignetur, ut cuncti tandem increduli, penitus sub iugum mittantur.

Nos itaq; aduersus illorum insultus missuri sumus militū copias, quæ maneant ad fretum Babel, Mendel loci, ad ostia ma
rini rubri sunt. Nos sumus militū copias, quæ maneant ad fretum Mechæ, scilicet Babel, Mendel, aut certe, si id tibi commodius uidebitur, ad portum Iudæ, aut Iude & Thor, Thor, ut tandem auferas perdasq; huiusmodi sunt ciuitates ma
ritimæ ad sinum Arabicum, quo Lu
xembi, quod annis chrum, deinceps non uorentur a canibus.

Adest

DE AETHIOPVM MORIB.

Adest iam tempus illud promissum , quod, ^{in Barbaros ex-}
ut aiunt, Christus & mater eius Maria prædixe ^{cursus faciunt.}
re , quod scilicet in postremis temporibus ori-
turus esset e regionibus Francicis Rex quispiā,
qui abolitus esset uniuersum Barbarorum ,
& Maurorum genus, & hoc ipsum quidē nunc
tempus est quod C H R I S T V S benedictæ
suæ matri futurum promisit.

Fräcicis.i. Chri-
stianis Europæis
Indi enim et Ma-
hometani fere o-
mnes Christianos
Europe genera-
li nomine Fran-
cos vocant.

Porro quicquid Orator noster Matthæus ,
uobis dicturus est, id uelut a nostra ipsorū per-
sona profectum accipite, eique fidem adhibete.
Est siquidem unus inter nostre aulę p̄cipuos ,
atq; ob id illum ad uos mittere uoluimus .
Commissemus autē hæc uestrīs nuntijs, quos
huc legasti, sed cepit nos metus , ne nostra ne-
gotia, non ex nostra sententia uobis nota forēt.

Mittimus ad uos per hunc nostrum Orato-
rem Matthæum, crucem unam , factam haud
dubie ex frusto ligni, in quo seruator noster I E
S V S Christus crucifixus fuit Hierosolymis.
Id autem sacrosancti ligni frustum , ex Hiero-
solymis ad nos allatum est. Porto ex eodem
duas fecimus cruces . earum altera quidē apud
nos manet , alteram uero dedimus isti nostro
Oratori , ad uos perferendam. Lignum nigri
coloris est, pendetque ab exiguo argenteo an-
nulo.

Cætes

DAMIANI A GOES

Cæterum si uobis uisum fuerit, aut uestras filias matrimonio iungere nostris filijs, aut nostros filios dare uestris filiabus, id & nobis in primis pergratum erit, & utriscq; utile, & frater ni inter nos initium foederis, quod quidem nuptiarum connubium, cum in præsentiarū, tum etiam in futurum, tecum inire percupimus. Reliquum est ut & salus, & gratia nostri Redemptoris Iesu Christi, sanctæq; nostræ Dominæ Mariæ virginis, se extendat tum super uos, tum super filios, filias, uniuersamq; uestrā domum, Amen. Ad hec autem uos certiores facimus, si bella, exercituq; coniungere uelimus, satis uirium nobis futurum esse ad (diuino accidente auxilio) abolendum uniuersos nostræ sanctæ fidei inimicos. Verum nostra regna, & ditiones sic sunt in mediterraneis sita, ut nusq; in maria possimus erumpere. Quare nihil nobis est potentiae in mari, in quo (Deo laus) uos omnium estis potentissimi. Iesus Christus sit uobis auxilio, res enim quæ in India per uos gestæ sunt, sunt profecto magis miraculosæ, q; humanæ. Quod si mille uelis armare naues, nos & cōmēatum dabimus, & cuncta, quæ ad eam classem opus erunt, abunde suppeditabimus.

Hanc epistolam cum aliquibus fidei, religiosis, morum, statusq; Aethiopū articulis, quos
Matthæus

DE AETHIOPVM MORIB.

Mattheus coram Rege Emanuele, & eius consilio explicuit, hortatu Ioannis Magni Gothi Archiepiscopi Vpsaliæ, in regno Suetiæ, cū quo in Prussia non uulgarem contraxi amicitiam, ex idiomate Lusitanico, in quo eam cōscriptam habebam, latinam feci, quæ postea cū ipsis quocq; articulis, me inscio, Antuerpiæ excusa est.

His ex legatis Aethiopum cognitis, Emanuel, ut erat & prudentissimus, & propagandæ fidei Christianæ audiissimus, legationē instituit grauissimis & ornatissimis uiris instructam, cu*ius* capita fuere Eduardus Galuanus, uir non minus ætate, q; prudentia, ac rerum usu grauissimus, & Franciscus Aluarez, sacerdos, ac Regi a sacris, & is quocq; senex, & moribus inculpati, quos utroq; de facie nouimus. Ilicum Matthæo sub Lupo Soarez Prorege ad Indiam nauigant, ac tandem Didaco Lupez a Sequeira, Prorege, qui Lupo Soarez successerat, cum instructa classe, quam aduersus Turcas parauerat, ad portum Arquicū nomine, in litore Erythrœo, ac in ditione Preciosi Ioannis situm deducuntur. ad quem locum appulsa est classis, anno salutis millesimo, quingentesimo uigesimo, die secundo Aprilis, in quo itinere, in Camara maris Erythrœi insula uita defunctus est Eduardus Galuanus, in cuius locū suffectus est Rosericus

C dericus

DAMIANI A GOES

dericus Limius, qui ab ipso Arquici portu, uigesimo nono eiusdem mensis cum socijs eiusdem legatiōis, duce simul, ac comite Matthaeo (nam Abelynus ille iuuenis, de quo superius mentio nem fecimus, e uiuis iam discesserat) ad aulam Preciosi Ioannis contendere coepit. in quo itinere quoq; mortuus est Matthaeus, ac in quodam celeberrimo cœnobio, nomine Bisayn a nostris sepultus. Post cuius funebre officium, ad insti tutam profectionem redcunt, ac post maxima itinera, labores infinitos, ingentia pericula, ad aulam Preciosi Ioannis perueniunt, a quo Ros dericus cum collegis honorifice excipitur, ac tandem peractis mandatis, & acceptis, ad Emanuelem Regem remittitur. Is cum suis Arquicum profectus, classem, cuius prætor Lodouicus Menesius erat, & quæ ea de causa appulerat, ut eos reduceret, nō inuenit, quæ illos, quod serius aduenerant, expectare non potuit propter uen torum importunitates, qui in illis plagiis, miro naturæ arcano, sex perpetuos menses, ex uno cœli climate, deinde alteros illos sex menses ex aduerso spirant. Arquici literas inuenit apud præfectum oppidi, a prætore Lodouico relictas, ex quibus Regis Emanuelis mortem cognoscit. Quamobrem iterum in aulam Preciosi Ioannis redeundum esse constituit, quo reuerso, Preciosi

DE AETHIOPVM MORIB.

Preciosus Ioannes ad Romanum Pontificem scribit, literasq; Francisco Alvarez Romam feras commisit. Ii omnes iā spacio sex annorum in illis prouincijs commorati, tandem cum legato Aethiopico, quem Preciosus Ioannes ad Regem nostrum mittebat, Arquicinaliam classem regiam, quæ eorum causa iterum uenerat, concidunt, idq; anno M.D.XXVI. mense Aprili. Inde soluentes Indiā petunt, ac tandem longis nauigationibus, Vlyssipponem ad Regem Ioannem, anno millesimo, quingentesimo, uigesimo septimo, mense Iulio redeunt, qui oratorem Aethiopicum ob certas eius legationis causas, apud se ad annum millesimum, quingentesimum, trigesimum nonū usq; retinuit, Franciscumq; Alvarez ad Clementem Pontificem se ptimum cum literis Preciosi Ioannis, cuius orator ex Aethiopia uenerat misit, quas ipse Pontifex ex manibus eiusdem Francisci Alvarez Bononiae, anno salutis millesimo quingentesimo, trigesimo tertio, mense Ianuario, Carolo quanto Imperatore præsente accepit. Quarū & aliarum ad Emanuelem, & Ioannem Reges interpretatio, Paulo Iouio uiro eruditō debetur, qui eas ex Lusitanico sermone, in quem tum uersæ erant, Latinas fecit, ut iam hic uidere licet.

C ij Literæ

DAMIANI A GOES

¶ Literæ serenissimi Dauidis Aethiopicæ Imperatoris ad Emanuelm Portugalliae, &c. Regem, scriptæ anno millesimo quingentesimo uigesimoprimo, Paulo Iouio interprete.

In nomine Dei patris, uti semper fuit, cuius inuenitur principium. In nomine Dei filii unici, qui est similis ei, antequam sit uisum lumine stellarum, antequam poneret fundamenta maris Oceani, alio autem tempore conceptus fuit in utero uirginis, sine semine virili, & sine nuptijs. In hunc enim modum scientia erat officij eius. In nomine paracleti spiritus sanctitatis, qui scit cum etia secreta, quae sunt, ubi antea fuit, omnium scilicet altitudinum coeli, quod sine columnis, & absque ullis fulcimentis sustinetur, qui amplius cavit terram, quem antea non erat creata, nec cognita ad omnes partes ab ortu ad occasum, & a septentrione ad Austrum. Nec iste est primus, uel secundus, sed est trinitas coniuncta in uno aeterno creatore rerum omnium, ab uno tamen consilio, & uno uerbo, per saecula saeculorum: Amen. Has literas mittit Atani Tinghil, id est, thus uirginis, quod nomine est a baptisma te, nunc uero in ipso suscepisti regni initio, assumpsit nomen Dauid, dilectus a Deo, columnam filii, cognatus stirpis Iudei, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Syon, filius seminis Jacob, filius manus Mariæ, filius Nau per carnem

DE AETHIOPVM MORIB.

nem, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorum, & ditionū, & terrarum Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaliganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, ubi Nilus oritur, de Damarra, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, unde fuit Regina Saba, de Bernagaes, & dominus usq; ad Nobiam finem Aegypti. Hæ literæ diriguntur Regi potentissimo & excellentissimo, semper uictori Domino Emanueli, qui habitat in amore Dei, & firmus permanet in fide catholica, filio Apostolorum Petri, & Pauli, Regi Portugal liæ & Algarbiorū, amico Christianorum, hosti, Iudici, Imperatori, domitori Maurorum, & gentium Africæ, & Guineæ a promontorio, atq; insula Lung, Maris Rubri, Arabiæ & Persidis, & Armutiæ, magnæ Indiæ, & omnium locorum earum, & omnium insularum, terrarum adiacentium, profligatori Maurorum, & fortium paganorum, domino arcium & altorum Castellorum, & murorum, propagatori fidei Iesu Christi. Pax tibi domine Rex Emanuel, qui Dei fretus auxilio, Mauros occidis, & tua classe, tuo exercitu, & tuis ducibus undiq; tanq; infideles canes expellis. Pax sit cum Regina uxore tua amica Iesu Christi, serua Maria

riæ

DAMIANI A GOES

rię uirginis matris, ipsius Salvatoris totius mū
di. pax sit filijs tuis, nunc uti in uirenti horto, &
florentibus lilijs, mensa esculentis parata. pax
filiabus uestris, quę sunt indumentis ornatae, si-
cūt palatia aulæis exornantur. pax affinibus tu-
is, ex sanctorum semine procreat is, sicuti dicit sa-
cra scripture, filij sanctorum sunt benedicti, &
magni foris & intra domum. pax sit consiliariis
is & officialibus tuis, potestatibus, & ius dicen-
tibus. pax Ducibus tuis castrorū & confinium
& omnium rerum munitorum. pax omnibus
gentibus, populis, & urbibus, & cunctis inha-
bitantibus, præter Mauros, & Iudæos. pax o-
mnibus parochijs, & omnibus Christo, & tibi
fidelibus. Amen,

Cognoui domine Rex, & mi pater, quod cū
ad te nominis mei fama, per Matthæum orato-
rem nostrum fuisset delata, statim Archiepisco-
porum, & Episcoporum, ac Prælatorum ma-
gnum numerum aduocari iussisti, qui de ea le-
gatione Deo Christo gratias agerent, ipsumq;
Matthæum summo cum honore, & hilaritate
fuisse suscepimus, qua de re mirifice sum læta-
tus, & gratias pariter Deo egí, & hoc deuote fe-
cit etiam populus meus. Dolui autem cum ab
his intellexi ipsum Matthæū in reditu suo dum
intraret fines meos in monasterio de Bilayn fu-
isse

DE AETHIOPVM MORIB.

issem mortuum, eum autem ego non miserā, quoniam adhuc puer eram undecim annorum, uix dum suscepto regni sceptro, post mortē patris, sed Helena Reginā, quā loco matris colebam, & regnum pro me gubernabat. Is Matthæus mercator erat, Habraham uocatus, sed sibi nō uum nomen idcirco imposuerat, ut securius per fines Maurorum iter faceret. Verum is in Dambul a Mauris pro Christiano agnitus, in carcere fuit coniectus. Quod cum significasset uestrorum exercituum Præfecto, is misit fortis uiros, qui Christianum hominem e tetricimo carcere liberarent, maxime cum didicisset eum esse legatum meum. Itaque illum erectū e manibus inimicorum, curauit uestris nauibus, ad conspectum uestrum transuendendum. Is Matthæus meo nomine, tibi Regi mādata exposuit, rescripsitq; se honorifice susceptum fuisse, & cumulante omnis generis muneribus honestatum, quod et nuntij pariter uestri affirmabant, quos magnus uestræ classis præfectus Didacus Lopez de Sequeira ad nos misit, qui literas presentarunt, quas afferre debuerat Eduardus Galuanus, qui in insula Cameronis diē obierat, quibus conspectis literis, magnopere sum gauisus, & Deo egi gratias, & tum magnam cepi uolutatem, cum pectora uestrorum nuntiorum cibus

DAMIANI A GOES

cibus insignita cōspicerem, & experirer percun
ctando eos, ritus tenere fidei Christianae, qui es-
sent uerissimi, & illud me singulari deuotione
iniecta uehemēter permouit, quod intelligerem
iter in Aethiopiam inuentum esse, non sine mi-
raculo. Nam referebant præfectū classis, quum
diu per mare Arabicum errasset, & propterea
de inueniendo nostro portu desperasset, re infe-
cta, redire in Indiam uoluisse, maxime propter
sæuas maris tēpestates, sed in aurora opportu-
ne rubram crucem in coelo apparuisse, qua salu-
tata, a nautis proras in eam partem esse conuer-
sus, monstrantecq; Deo repertum esse portum
nostrum, quæ res mihi pro miraculo uisa est, &
certe is classis præfектus Deo debet admodum
esse dilectus, postq; tantam ei felicitatem conce-
sam uidemus, quantam nemo ante eum a Deo
impertrare potuerit. De hac autem mutua lega-
tione antiquitus prædictum fuit a Propheta in
libro de uita, & passione sancti Victoris, & in
libris sanctorum Patrum, quod Rex magnus
Christianus, cum Rege Aethiopiæ esset cū mu-
tua pace conuenturus, sed hoc nequaquam fu-
turum existimabam diebus uitæ meæ. Verum
deus certum sciebat, ut laudetur nomē eius, qui
nuntium ad me detulit, ut ego pariter id mitte-
re possem ad te patrem meum in Christo, &
amicum

DE AETHIOPVM MORIB.

amicum, ut simus in una fide, postque a nullo alio
Rege Christiano nuntium aut certam notitiam
habuerim. Haec tenus circum me Mauri erant, si
lij Mahometis, & Gentiles, & reliqui sunt serui,
qui Deum non agnoscunt, & alijs qui ligna &
ignem uenerantur, & alijs qui solem adorant, &
alijs qui serpentes Deos esse putant. cum his nun
quam pacem habui, quoniam ad ueritatem ue-
nire recusant, & frustra his predicabam fidem,
nunc uero conquiesco, & Deus quietem dono
mihi dedit cum hostibus meis & tuis. Nam in fi-
nibus meis cum armatus contra eos progredior,
ipsi faciem & terga uertunt, & Duces, & mili-
tes mei, per campos de his uictorias consequun-
tur. Necque mihi Deus irascitur, ut dicit Psalter-
ium, & Deus uota eorum Regum implet, qui
iusta petunt, nechoc ad laudem nostram perti-
net. Nam deo agede sunt gratiae. is est qui mun-
dum uobis dedit, & terram Gentilium perpe-
tuo concessit, ac aliorum terras, quae sunt a fini-
bus uestris, ad initium Aethiopie propterea in
gentes Deo gratias ago, & predicto summa eius
potentiam, cum sperem eorum populorum fi-
lios, qui in tuam dictionem ueniet procul dubio
fidei ueritatem esse cognituros. quamobrem do
gratias Deo, & spero quod filij uestri, & ego,
& uos, de felicibus earum rerum successibus,

D abunde

DAMIANI A GOES

abunde lætabimur. & uos Deo debetis conti-
nue supplicare, donec gratiā uobis det potiundi
templi sancti in Hierusalem, quę est in potestate
hostium Christi, Maurorum, & Gentilium, &
hæreticorum. & si hoc perfcceris, caput tuum
omni laude plenissimum erit. Cæterum ex nu-
mero legatorum, qui ad me ueniebant. cum prę-
dicto Matthæo tres periere, & Præfectus ma-
rquicū gonus uestræ classis deuenit apud Macua in
colloquium cum Rege de Bernagais, qui est im-
perio meo subiectus, & statim legatos ad me mi-
lit, & munera ingentia, quæ mihi charissima fu-
erunt. Verum nomen uestrum omni gemma, &
thesauro mihi preciosius uidetur. Sed hæc tran-
seamus, & agamus inter nos, quo modo inua-
dere, & capere possimus alias infidelium terras.
Ego certe dabo millies centena millia drachma-
rum auri, & totidem millia militarium uiro-
rum. Itemq; materiam & ferrum, & cuprum,
in usum ædificandę, & ornandę classis, magnā
etiam commeatus copiam. amice una conuenie-
mus, & quoniam non est consuetudinis, & di-
gnitatis meę ad petendam pacem legatos mitte-
re, & tu primus a me eam syncere quæsiuisti, ad
uerificanda Christi uerba. Nam scriptum est,
Beati pedes, qui portant pacem. Et ego propte-
rea sum ad id paratus, more Apostolorum, qui
erant

DE AETHIOPVM MORIB.

erant unanimes, & unius cordis. O rex, & pa-
ter mi Emanuel, unus Deus te sospitem uelit, &
seruet, qui est Deus coeli, & semper unius sub-
stantiae, nec iuuenescit, nec senescit. Is qui a te
nuntium attulit, Rodericus Lima uocabatur,
legationis optimorum uirorū princeps, & cum
eo Franciscus Aluarez, quem propter uitę pro-
bitatem, & singularem religionem, & iustitiam
ualde charissimum habui, maxime quod ueris-
simis uerbis, cum esset interrogatus de fide aptis
sime respondebat. Et ita debetis eum exaltare,
& magistrum appellare, & dare ei officium con-
uertendi populos de Macua, & de Dalaca, de
Zeila, & omnium insularum maris rubri, quo-
niam sunt in finibus regnorum meorū, & ego
ei concessi crucem, & baculum, in signum potes-
tatis, & ita uos iubēte, ut hæc ei concedantur,
& creetur Episcopus illarum terrarum, & insu-
larum, quoniam hoc meretut, & idoneus est in
hoc officio administrando, & tibi Deus pluri-
mum benefaciet, ut semper sis fortis contra ho-
stes tuos, & eos cogatis ad pedes uestros proci-
dere, & Deus tibi uitam prolonget, & partici-
pem faciat regni coelorum in optimo loco, sicut
ego pro me optarem. Audiui autem auribus
meis multa bona de te, & oculis uideo, que ui-
dere nequaquam credebam, & Deus cuncta de

D ij bono

DAMIANI A GOES :

bono in melius succedere uelit, & ibi sit uester
locus supra lignum uitæ, ubi est locus sancto-
rum, Amen.

Ego sicuti filius paruulus, quæ iussisti feci,
& faciam si uenerint legati uestrí, ut in uicē mu-
tuis opibus adiuuemur. Singulis autem Orato-
ribus uestris, qui uenient, sicut tum fecisti ad
Mazua, aut Delacam, & ad portus intra angu-
stias maris Rubri, ea tribuam, tribuiq; curabo,
quæ fienda significabis, sicuti maxime desyde-
ro, ut in cōsilio, & rerum actione, prospere con-
iungamur. Nam cum ad ea littora copiæ uestre
peruenerint, mature & ego cū meis exercitibus
adero. Et quoniā in finibus meis nemo est Chri-
stianus, neque templa Christianorum uisuntur,
concedam uestris hominibus habitandas illas
terras, quæ sunt proxime Maurorum ditioni,
propterea opus est, ut coepitis uestris debitum
finem afferatis. Interim mittitote ad me uiros
eruditos, atq; etiam cælatores imaginum auri
& argenti, & fabros cupri, & ferri, & stanni,
& plumbi. item artifices, qui literis nostrę lin-
gue, pro Ecclesia libros imprimant, item ali-
quos qui ex auro bracteolas facere, & cū his in
aurare alia metalla sciūt. Hi erūt in domo mea
honestissime tractati, & si discedere uoluerint,
laborum suorum eis amplam mercedē soluam.
Iuro

DE AETHIOPVM MORIB.

Iuroq; per Deum Iesum Christum Dei filium,
me eos libere cum uoluerint, esse dimissurum.
Hoc autem peto fidentissime, quoniā mihi ue-
stra uirtus spectata est, & bonitas maxime agni-
ta, & scio me amari abs te plurimum. & hoc
agnoui certius, quod Matthæum mei gratia ho-
norifice & liberaliter suscepereatis, & remiseri-
atis. Et ideo adnitor ea impetrare, neque hoc uo-
bis pudorem afferat, nam omnia persoluam.
Et id quod filius petit a patre, negari non de-
bet. & tu es pater meus, & ego filius tuus, & si
mus coniuncti simul, sicut laterculus cum later-
culo in pariete copulatur, ita duo in uno corde,
& amore Iesu Christi consentimus, qui est ca-
put mundi, & qui cum eo sunt, assimilantur la-
terculis in muro coniunctis. A M E N.

¶ Literæ eiusdem Davidis Aethiopæ Imperatoris, ad Ioan-
nem huius nominis terium, Portugallię, &c. Regem,
scriptæ anno M. D. XXIIII. Paulo Ionio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis, creato-
ris coeli & terræ, & omnium rerum factarum,
uisibilium, & inuisibilium. In nomine Dei filij
Christi, qui est filius, & consilium, & propheta
patris. In nomine Dei spiritus sancti, paracleti,
Dei uiui, æqualis patri, & filio, qui locutus est
per os prophetæ, spirando super Apostolos
ut

DAMIANI A GOES

los', ut gratias agerent, & laudarent Trinitatem perfectam in cœlo & in terra, in mari, & in profundo semper, A M E N.

Mitto has literas & nuncium ego Thus uirginis, quod est mihi nomen a baptisme, nunc uero cum Imperij sceptro assumpli nomen David, dilectus Deo, columna fidei, stirps Iuda, si Iius David, filius Salomonis Regum Israel, si Iius columnæ Sion, filius seminis Jacob, filius de manu Mariæ, & filius Nau per carnem, maximo & potentissimo, & altissimo Ioāni Regi Portugallie, & Algarbiorum, filio Regis Emanuelis. Pax sit tibi, & gratia domini nostri Iesu Christi sit semper tecum, Amen.

Eo tempore quo ad me relatum est de potentia Regis patris tui, qui Mauros foedissimi humetis filios debellabat, Deo gratias ingentes egi, propter incrementum, & magnitudinem, & coronam conseruationis, in domo Christianitatis. Similiter summam cepi uoluptatem ex legatorum aduentu, qui uerba ipsius Regis ad me detulerunt, ex quibus singularis amor, & notitia, & amicitia inter nos effecta est, ad eradicandos, expellendosque malignos Mauros, & incredulos Gentiles, qui habitant inter tua, me acq regna. Dū essem in hac lēticia, audiui tuum meum q̄ patrem, prius esse uita defunctum, q̄ hinc

DE AETHIOPVM MORIB.

hinc legatos ad eum mitterem. Quamobrem
gaudium meum in mœrorem subito conuer-
sum est, ita ut in hoc cordis mei dolore, mecum
etiam aulæ nostræ proceres, & Prælati Ecclesia
stici, & qui in monasterijs sunt, omnesq; demū
subditi nostri uehementissimū luctum fecerint,
ita ut uoluptas primi nuntij, cum tristitia hu-
ius nouissimi exequaretur. Domine a principio
regnorum meorum hactenus nulla legatio, nul-
lusq; nuntius, uel a Rege, uel a regno Portugal
iæ ad me peruenit, nisi dum uiueret Rex, tuus
pater, qui duces suos ad me misit, & proceres
cum Clericis, & Diaconis, qui totū solennium
missarum apparatum attulerunt. Et propterea
maxime sum laetus, & eos honorifice suscepi,
& non multo post eos dimisi, ut reueterentur
cum honore, & pace. & postquam peruererūt
ad portum maris, qui est in finibus meis, in ma-
ri Rubro, non inuenere magnum Præfectum
classis, quem pater tuus miserat, is enim non ex-
peccauit, & de hoc me fecerat certiorem, quo-
niam non poterat expectare, cum esset moris ue-
stri, de triennio in triennium magnum classis
Præfectum creare. Interim aliis nouiter crea-
tus aduenit, qua de causa longiorem, q; opus es-
set, moram legati contraxerunt. Nunc uero
mitto mandata mea per fratrem Christophorū
Lica

DAMIANI A GOES

Licanati, cui nomen a baptismate est Zaga Za
bo, nēpe gratia patris, qui desideria mea coram
uobis explicabit. & item ad Papā Romanum
mitto Franciscum Aluarez, qui nōmine meo
præstet obedientiam, uti iustum est. O domine
Rex frater mi attende, & da operam amicitiae,
quā inter nos pater tuus aperuit, & crebro mit-
te nuntios, & literas, nam eas magnopere uide-
re desidero, uti a fratre meo, nam id equum est,
cum ambo simus Christiani. & Mauri, qui ma-
li sunt, semper in sua secta concordes existunt,
& nunc profiteor me nolle in posterum legatio-
nes Regis Aegyptij admittere, nec aliorū item
Regum, qui ad me sāpe legatos mittebant, sed
solū celsitudinis tuæ, quos uenire maxime opto,
quoniam reges Mauri me loco amici non ha-
benit, propter religionis dissensionem, sed amici-
tiam simulāt, ut tutius & liberius mercaturam
in nostris regnis exerceant, inde magnum com-
modum consequuntur. In gentem enim uim au-
ri, cuius sunt auidissimi, e regnis meis exportāt,
cum parum mihi sint amici, & cōmoda eorum
nullam mihi afferant lāticiam, sed hoc toleran-
dum fuit. quoniam superiorum regum nostro-
rum uetus est institutum, & si eis nequaquā bel-
lum infero, & penitus profligo, temperandum
in hoc mihi esse arbitror, ne illi contra sanctum
templum

DE AETHIOPVM MORIB.

templum in Hierusalem violent, & diruant, in quo sepultura est Iesu Christi, quam Deus in potestate foedissimorum Maurorum reliquit, & pariter solo æquarent alia templa, quæ sunt in Aegypto, & Syria. & hæc causa est, cur eos non inuadam, & debellem, cuius rei me plurimum tædet. Etiam hoc mihi facilius persuadeo esse faciendum, quū neminem Christianum Regem habeam finitimum, qui me adiuuet, & cor meum exhibaret. Ego mi Rex nequaquam lætari possum de Christianis Europæis Regibus, cum eos audiam in uno corde minime consentire, uigerecyp inter eos bella. Estotes simul oēs in una concordia unanimes. Deberetis enim inter uos certo foedere esse contenti. Et certe si mihi Christianus Rex finibus esset coniunctus, nunquam una hora ab ipso discederem, & de hoc non plane scio quid dicam, aut omnino faciam cum hæc a Deo ordinata esse uideantur. Domine mi mitte obsecro frequentes ad me nuncios, nam cum literas tuas uideo, uultum certe tuum intueor. Quoniam major amicitia oritur inter longinquos, distantes, q̄ inter eos qui propinqui sunt, propter desideriū quo tenentur. Nam is qui reconditos habet thelauros, cum eos occurris nō uideat, corde semper, & quidem uehementissime diligit, sicuti Dominus Iesus Christus

E in

DAMIANI A GOES

in Euangelio dicit, Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum, ita cor meū apud te est, quū tu ipse meus sis thesaurus, & tu pariter me, tuū thesaurū debes efficere, & cum meo tuū cor syncere copula re. O Dñe frater serua uerbū hoc, nam es prudenterissimus, & (utī audio) patri in sapiētia similis, & de hac re cognita, statim Deo gratias egi, abiectoq; dolore, gaudiū a me suscepsum est, & dixi, Benedictus sit filius sapiēs & magni capitisi, filius Regis Emanuelis, qui sedet in cathedra regnū suorum. Dñemī caue ne defatigeris, cum sis fortis non secus ac pater tuus, nec ostende debiles uires aduersus Mauros, & Gentiles. Nam eos cū Dei auxilio adiuuante virtute tua, facile debellabis & destruēs. & nō dicas tibi esse a patre tuo uires exiguae. Nameq; sunt certe satis magnæ, & deus semper opē feret. Mihi adsunt uiiri, aurum, commeatus instar a renē maris, & stellarum coeli. Nos simul coniuncti totā Maurorū barbariē destruemus, necq; aliud a uobis peto, q; peritos uiros, qui meos milites in prælijs ordinēs seruare doceant. Et tu Rex uir integrē aetatis existis. Rex Salomon duodecim annorū aetatis, imperium suscepit, habuitq; magnas uires, & patre sapiētior fuit. Ego quoq; cum Nau patre meus excessit ab humanis, puer undecim annorum remansi, ingressusq; sedem patris, Deo dante

DE AETHIOPVM MORIB.

dante ampliores opes & uires eo sum consecutus. Nam in manu mea oēs finitimi & Regni Gentes existunt, propterea ambo gratias Deo agere debemus tanti accepti beneficij. Præbe mihi aures frater, & Domine. Nā hoc uno uerbo a uobis postulo, ut uiri docti, atq; etiam artifices mihi mitrantur, qui imagines, & libros impressos, enses, & oīs genetis arma militaria fabricare sciant. Itemq; architecti, fabri lignarū, & Medici, qui pharmaca cōponere, & uulnera curare didicerint. Cupio etiā eos habere, qui aurum in bracteas extenuare, & aurū & argentū egregie cälare ualeant, ac etiam aurū & argentū e uenis terræ eruere, & metallorū oīum fodinas exercere sciant. Præter hos, apud me etiā chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebunt. omnes denique artifices mihi usui erunt, & præsertim schlopeto rum. Adiuua me obsecro in his rebus, sicuti frater fratrē, & te Deus ita adiutoriabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes, & petitiones tuas, sicuti recepit sancta sacrificia in omni tempore, & in primis sacrificia Abel, & Noe quando fuit in arca, & illud Abraham, quando fuit in terra Madiam, & illud de Isaac quando discessit a fossa iuramenti, & illud Jacob, in domo Bethleē, et Moysis in Aegypto, &

E ij Aaron

DAMIANI A GOES

Aaron in monte, & Ieson filij Nau in Galgala,
& Gedeonis supra plagam, & Sampsonis, quā
do sitim habuit in terra sicca , & Samuelis in
Rhama prophetæ, & Dauid Nacira, & Salo-
monis in ciuitate Gabeon, & Heliæ in monte
Carmelo, quando suscitauit filium uiduæ mu-
lieris e Richa supra puteum, & Iosaphat in præ-
lio, & Manasse quando peccauit, & ad deum
est conuersus, & Danielis in spelunca leonum,
& trium sociorum Sydrach, Misach, Abdene-
go in camino ignis, & Annæ ante altare, & Ne-
emiæniæ, qui fecit muros cum Zorobabel , &
Mathathie cum filijs supra quartam partem
mundi, & de Esau, supra benedictionem. Ita
Domine, Deus recipiet tua sacrificia, & suppli-
cationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra
omnes peruersitates in omni tempore, & singu-
lis diebus. Pax sit tecum , & ego te amplector
sanctitatis brachijs, & similiter singulos ample-
ctor, qui tibi sunt a consilijs sanctis Regni Por-
tugalliae. Itemque Archiepiscopos & Epi-
scopos, Sacerdotes & Diaconos, ui-
rosq; pariter & mulieres. Gratia
Dei & benedictio virginis
Mariæ matris Dei sit
tecum & oībus,
Amen.

Liturg

DE AETHIOPVM MORIB.

¶ Literæ eiusdem serenissimi Dauidis Aethiopæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum, scriptæ anno millesimo, quingentesimo uigesimoquarto, Paulo Iouio interprete.

N nomine Dei patris omnipotentis, creatoris coeli & terræ, uisibilium, & inuisibilium. In nomine Dei filij Iesu Christi, qui est idē cum ipso, a principio mundi, & est lumen de lumine, & Deus uerus, de Deo uero. In nomine Dei spiritus sancti, Dei uiui, qui processit ex Deo patre. Has literas is ego Rex mitto, cuius nomen leones uenerātur, & Dei gratia uocor Athani Tinghil, id est, Thus virginis, filius Regis Dauid, filius Salomonis, filius Regis de manu Mariæ, filius Nahu per carnem, filius sanctorum Petri & Pauli, per gratiam, Pax sit tibi iuste domine, pater sancte, potens, pure, sacrate, qui es caput Pontificum omnium, & neminem metuis, cum nemo tibi possit maledicere, qui es uigilantissimus supra animas curator, & amicus peregrinantium, consecratus magister, & prædicator fidei, & earum rerum hostis, que conscientiam offendunt, amator optimorum mortuum, vir sanctus, quem omnes laudant, & benedicunt. O felix sancte pater, ego tibi reverenter obedio, cum sis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquum, ut omnes tibi obediuntiam præstent, sicuti sancti Apostoli præcipiūt apud

DAMIANI A GOES

apud Deū. Hoc uere uestrum est, ita etiam p̄cipiunt, ut ueneremur Episcopos, Archiepiscopos, & Prelatos. Similiter ut te loco patris amemus, & loco Regis ueramur, & tibi uti Deo si dem habeamus. Propterea dico ego humiliter, ad terram genibus flexis, tibi pater sancte synereo admodum corde, quod tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater sancte potentissime, cur neminem unquam ad nos misisti, ut certius de uita, saluteq; mea cognosceres, cū tu sis pastor, & ego ouis tua. bonus etenim pastor sui gregis nunq; obliuisceretur, nec tibi a regiōibus uestris nimium semotus debeo existimari, ut nunch ad me nequeant peruenire, cum ex remotissimis terrarum regnis Portugalliae Rex Emanuel filius tuus, Oratores ad nos cōmodissime miserit, & si Deus eum ad se in cōclum euocare distulisset, ea quæ tum agitabamus, procul dubio felicē exitum habuissent. nunc uero maxime opto prospera & salutaria de sanctitate uestra, per certos nuntios audire. neq; enim unq; a sanctitate uestra uerbum recepi, quum aliqua tantū a nostris, qui ex uoto peregrinātur audierim. Sed hic cum neq; meo nomine proficiscātur, neq; quicq; literarū a uobis afferant, incerta fide nobis per cunctantibus, dicunt se ab Hierosolyma, deinde solutis uotis, ad uisitanda Apostolorū limina, Romam

DE AETHIOPVM MORIB.

Romam peruenisse, cū intelligent ea loca facile peti, quod a Christianis teneantur, & certe sum mam capio ex eorū sermonibus uoluptatē, quo- niam dulcissima cogitatione sancti uultus tui imaginem intueor, quæ mihi Angeli formæ si- millima uidetur, & illam sicuti angelicā me dili gere, uenerariq; fateor. Sed profecto mihi esset gratius atq; iucundius, uerba tua, tuasq; literas deuotissime contēplari. Atq; ita nunc te oro, ut nuntium tuum cum benedictione ad me mitte- re uelis ad exhilarandum cor meum . nam cum in religione, & fide consentiamus, id mihi ante omnia uidetur expetendum, suppliciterq; item oro, ut amicitiam meā, ad instar annuli, quem induis in digitum, & torquis aurei, quem hume ris imponis, in intimum cor reponere uelis, ut mei memoria nunq; ex animo uestro deleatur. Gratis etenim uerbis & literis amiticia maxime crescit, cum eam sancta pax complectitur, e qua omnis humana lāetitia facile prouenit. Quem- admodū enim is, qui uehementer sit, frigidam maxime aquam desiderat, ut in sacris scripturis habetur, ita animus meus ex nuntijs, & literis, quæ ex remotissimis terris deferuntur, incredibile gaudium concipere solet. neque tantummo do de Sanctitate uestra , si aliqua audiero , ue- rum si certa de singulis terræ Christianæ Re- gibus

DAMIANI A GOES

Regibus referetur, mirum in modum lætabor,
sicuti his accidit, qui præliando opima spolia re-
periunt & legunt, hoc enim facillime fieri po-
test, postquam Rex Portugalliae totum id iter
aperuit, qui ad nos iam pridem legatos suos mi-
sit cū strenuissimis equitibus. Dum autem pa-
ter meus esset in humanis, neq; tū, aut demum
a quoquam alio Rege Christiano, uel ipso Pon-
tifice, aut nuntium, aut omnino literas recepi-
mus. Quanq; in Archiuis proauis nostri semi-
nis Iacob earū literarum memoria cōseruetur,
quas Papa Romanus nomine Eugenius, ad has
terras misit, cū ipse semen Iacob regnaret, Rex
regum in uniuersa Aethiopia, Rex metuendus.
Præscriptio autem literarum hæc erat.

Eugenius Romanus Pontifex, filio dilecto
nostro Regi, ex semine Iacob, Regi Regum in
uniuersa Aethiopia, maxime metuendo, &c. In
summa autem literarum, significabat filium
suum Ioannem Palgologum, qui biennio ante
esset mortuus, Regem Regum Romæorum, ad
sacrosanctam synodum celebrâdam, euocatum
fuisse, & cum eo Iosephum Patriarcham Con-
stantinopolitanum uenisse cum magno nume-
rio Archiepiscoporum, & Episcoporum, & o-
mnis generis Prælatorum, in quibus etiam fuil-
sent Procuratores Patriarcharum Antiocheni;

Alexandri

DE AETHIOPVM MORIB.

Alexandrini, & Hierosolymitani. Qui omnes secum sancte fidei, & religionis amore firmiter coniunxissent, constitutaq; unitate Ecclesiæ, sub latas fuisse antiqui temporis difficultates, nō si ne diuino auxilio, quæ erroneæ, & religioni contrariæ uidebantur. quibus rebus rite sancitis, & constitutis, ipse Papa omnibus singularem lætiam p̄pperisset. Hunc autem librum Papæ Eugenij ad uos mittimus, quem incorruptum seruauimus, totū etiam Pontificiæ benedictionis ordinem & potestatem mississimus, nisi harum rerum nimis magnum uolumen esse videretur, quum magnitudine librum Pauli ad gentes omnino supereret. Legati uero, qui hæc a Pontifice ad nos detulerunt, sucre Theodorus, Petrus, Didymus, & Georgius serui Iesu Christi. Tu uero sanctissime pater recte feceris, si euolui uestros libros iuss eris, ubi harum rerum, de quibus scribimus, ut facile arbitror, aliqua memoria repertatur. Itaq; sancte pater, si aliqua ad nos perscribes, firmiter existimato, cuncta in nostros libros diligentissime fore conscripta, ut posteris nostris earum rerum sempiterna memoria relinquatur. Et certe is mihi beatus esse uidetur, cuius memoria custodita literis, in urbe sancta Roma, & in sede Sanctorum, Petri & Pauli conseruatur. Hi enim sunt domi

F ni

DAMIANI A GOES

ni regni cœlorum & totius mundi iudices. Et quoniam ita credo, propterea has mitto literas, ut mihi gratia paretur apud sanctitatē uestram, & uestrum sanctissimum Senatū, ut inde sancta benedictio mihi proueniat, & honorū omnium incrementum. Obnixe etiā precor sanctitatem uestram ut mihi mittere uelit aliquas Sanctorū imagines, & præcipue beatæ Mariæ Virginis, ut s̄epissime sit in ore, atq; memoria mea nomen uestræ sanctitatis, & continuam ex muneribus uestris capiam uoluptatem. Idcirco etiam uehementer postulo, ut mihi uiros sacrarum literarū doctos, atq; etiam artifices mittatis, qui imagines fabricent, atq; ita enses, & arma bellica oīs generis, itemq; cælatores auri, atq; argenti, & fabros lignarios, præcipue architectos, qui domos ex lapide cōstruant, & tegulas ex plumbo, cuproq; ducere sciant, quibus domorum tecta protegantur, ad hos etiam nobis admodum chari erunt, qui uitrum conflare, organaq; musica scite facere, & docte pulsare sciant, itemq; fistulatores, & tibicines. Hos uero artifices ex domo uestra præcipue mihi mitti uellem, uel si horū domi uestrę exigua erit copia, ab alijs regib. filijs uestris, eos sanctitas uestra poterit impetrare. quoniam uestris imperijs, & nutibus facile obediunt. Hic cum ad me peruenient, pro meritis

DE AETHIOPVM MORIBVS

tis summo in honore habebuntur, ex liberalitate mea, mercedem amplam accipient. & si dominum aliquis redire concupiscet, præmijs abunde ornatus abibit, uti placuerit, quando nec in uitum quenquam sim retenturus, cum fructum aliquem ex eius industria percepero. Nunc ad alia transcendum est, & iam a te postulo sanctissime pater, cur non hortaris Reges Christianos filios tuos, ut arma deponant, & uti fratres decet, concordes inter se esse uelint, postquam ipsi oves tuæ sunt, & tu ipse pastor eorum? Optime quidem tua sanctitas nouit, quid Euangelium præcipiat, quod dicit. Omne regnum in se diuisum desolabitur. Nam si reges animis, & foedere certo consentient, facillime Mahumetanos omnes delebunt, & pseudoprophetæ sepulchrum felici irruptione disturbabunt & diruent. Ob hanc rem da operam pater sancte, ut inter eos bona pax fiat, & certum foedus amicitię percutiatur, hortarecque eos, ut mihi adesse, atque opem ferre uelint, cum in regnorum meorum finibus, a Mahumetanis Mauris pessimis hominibus sim ex omni latere circundatus. Ipsa autem Mauri Mahumetant, inter se mutuis auxilijs utuntur, Regesque cum Regibus, & Reguli cum Regulis, aduersus nos sincere & constans conueniunt. Mihi Maurus quidem ad-

F ij modum

DAMIANI A GOES

modum uicinus est, cui finitimi alij Mauri ar-
ma, equos, atq; instrumenta bellica suppeditat;
Hi sunt Reges Indiae, Persidis, Arabie, atque
Aegypti. Quibus de rebus singularem animo
indies capio molestiam, cum hostes Christianae
religionis, fraterna charitate inter se coniunctos
pace frui conspiciam. Reges uero Christianos,
fratres meos, nihil omnino istis iniuriis commo-
ueri, necq; ullam mihi opem afferre, ut i certe de-
ceret Christianos, postquam foedissimi filii Ma-
humetis, inter se mutuis opibus adiuuantur.
Necq; ego is sum, qui ad id militares copias po-
stulem, cum milites mihi supersint. Orationes,
& supplicationes tantum peto, locumq; gratiae
apud sanctitatem uestram, & reges fratres me-
os excepto, querenda enim mihi est haec uobiscum
amicitia, ut copiose his rebus, quas supra postu-
lauit ad terrorem Maurorum sim instruens, &
Christiani nominis hostes, uicini mei. intelligat
Reges fratres meos, singulari studio mihi faue-
re, atq; opem ferre, quod certe ad commune de-
cus pertinet, postq; in una religionis, & fidei ue-
ritate consentimus, & in eo consilio sumus per-
mansuri, quod firmum, atq; absolutum erit cum
eo, quod utilius eueniet. Deus itaq; desideria ue-
stra impleat, super laudibus Iesu Christi, & dei
patris nostri, quem omnes laudant per omnia
secula.

DE AETHIOPVM MORIB.

secula. Et tu domine pater sancte complectere me, cum omnibus sanctis Iesu Christi, qui sunt Romæ. & pariter in hos amplexus recipientur omnes incolæ regnorum meorum, & qui Aethiopiam inhabitant, & reddatur gratia domino Iesu Christo cum spiritu uestro. Has uero literas sanctitas tua accipiet, de manu fratris mei Ioannis Regis Portugallie, filij potentissimi Regis Emanuelis per Oratorem nostrum Franciscum Aluarez.

¶ Aliæ literæ eiusdem Davidis Aethiopicæ Imperatoris,
ad Pontificem Romanum, scriptæ anno millesimo, quin
gentesimo uigesimoquarto, Paulo Iouio interprete.

Felix sancte pater, qui a Deo effectus es Genitium consecrator, & sancti Petri sedem obtines. Tibi datae sunt claves regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris, uel solueris super terram, erit ligatum, uel solutum in cœlis, sicut dixit Christus, & ita in Euangelio Mattheus scribit. Ego rex cuius nomen leones uenerâtur, & Dei gratia Atani Thingil, id est Thus uirginis uocor, quod nomen est a baptisme, nunc uero in ipso suscepisti regni initio, assumpsi nomen Dauid, dilectus a Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Syon, filius seminis Iacob, filius de ma-

DAMIANI A GOES

de manu Marie, filius Nau per carnem, Imperator magna & alte Aethiopiæ, magnorum regnorum & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baalinganze, de Adea, de Vâgue, de Goiam, ubi Nilus oritur de Damaraa, de Vagemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, unde fuit regina Saba, de Bernagaes, & dominus usq; ad Nobiam, finem Aegypti. Hę prouinciae omnes in mea potestate sunt, & plerique aliæ magnę, & itē paruae, quę nunc a me nequaquam numerantur, neque regna & provincias suis nominibus expressi, ueluti superbia, & uana gloria inductus, verum ob id, ut summus Deus magis ac magis laudaretur, qui singulari benignitate, tot amplissimorum regnum Christianę religionis, superioribus meis regibus, imperia tribuisset, sed profecto meclariore gratia, inter alios reges dignum fecit, ut religioni continue inseruirem. Quoniam me Adel dominum fecerit, hostem Maurorum, & Gentilium, qui adorant idola. Mitto ad deosculandos pedes sanctitatis uestræ more cæterorum Christianæ fidei Regum, fratrū meorum, quibus neque religione, neque potentia sum inferior. Ego etenim in regnis meis sum columna fidei, neque externis iuuor auxilijs, cum in solo

DE AETHIOPVM MORIB.

Io Deo spem, & opem reponam, qui me sustinet,
& gubernat, ab eo tempore, quo Angelus Dei
allocutus est Philippum, qui fidem doceret Eu-
nuchum potentis Reginæ Candacis, Reginæ
Aethiopiæ, quæ ab Hierosolyma Gazam perge-
bat. Philippus tum baptizauit Eunuchum, &
Eunuchus demum Reginam, cum magna par-
te familiæ, & populi eius, qui nunquam desie-
runt esse Christiani, omnique sequenti tempo-
re persisterunt fortes in fide. Predecessores uero
mei, nulla alia ope adiutiū cō diuina, fidem in la-
tissimis regnis propagarunt, quod & ego quo-
tidie efficere contendo. Maneo etenim inter ma-
ximos regnum meorum fines, ut leo ingenti
sylua circundatus, & septus aduersus Mauros
obsidentes, & alias nationes fidei Christianæ in
imicissimas, quæ nolunt audire uerbum Dei, ne
que cohortationes meas, & ego gladio accinctus
eos persequor, & paulatim extrudo, diuino sci-
licet fretus auxilio, quod nunquam mihi deest,
quod securus accidit regibus Christianis. Nam si
regnorum suorum fines extendunt, id facile pos-
sunt assequi, quoniā alter alteri opem ferre pos-
set, & auxilia subministrare, iuuari cō benedi-
ctione uestræ sanctitatis, cuius particeps ego
sum, cum in libris meis habeantur literæ, quas
superioribus temporibus Eugenius Papa cum
benedic

DAMIANI A GOES

cum benedictione misit , ad Regem semen Iacob. Qua accepta, tradita per manus benedictione ego fruor, & magnopere laetor. Cæterū ego in magna habeo ueneratione sanctum templum in Hierusalem, ad quod sæpiissime mitto oblationes debitas, per nostros peregrinantes . Et multo plures & pinguiores mitterem , nisi itinera a Mauris, & infidelibus obsiderentur. Nam præter illud, quod dona nostra, & thesauros nuntijs eripiunt, etiam eos libere pertransire non sinunt. Quod si paterent itinera, in familiaritatem, & commercium Romanæ Ecclesiæ deuenirem, uti sit a ceteris Christianis Regibus, quibus in religione Christiana nō sum inferior. Et ita ut illi credunt, unam fidem rectam, & unam ecclesiam confiteor, credoq; syncerissime in sanctam trinitatem, & in unum Deum, & virginitatem Domine nostræ uirginis Mariæ, & articulos fidei teneo, & obseruo, uti ab Apostolis conscripti fuerunt. Nunc Deus optimus manus potentissimi, & Christianissimi Regis Emanuelis iter patefecit, ut per legatos cōueniremus & in fide coniuncti Christiani, cum Christianis Deo inferuiremus. Sed dū in aula mea eius oratores essent, allatum est eum uitam cum morte commutasse, filiumq; eius, fratrem meum Ioannem paterni regni sceptrū accepisse. Vnde sic
cuti ex

DE AETHIOPVM MORIB.

cuti ex patris morte summum senseram dolorem, ita ex filij felici in regnum assumptione misericordie sum laetatus, adeo ut sperem nos communibus copijs, & viribus per regiones Maurorum pessimorum, terra maricq; iter aperturos, atque eos magno terrore illato, sedibus, & regnis esse depulsuros, ut commodo pacatoq; itinere, Christiani Hierosolymitanum templum petere, & libere commeare possint. Atq; ego in primis, sicuti uehementer exopto, Divini amoris particeps esse possim in templo Apostolorum Petri & Pauli. Cupio autem ingenti desiderio consequi sacrosanctam benedictionem, a uicario Domini nostri Iesu Christi. Nam procul dubio sanctitas uestra, Dei est uicarius. Et cum a peregrinis, qui ex regionibus nostris ad Hierusalem atque inde Romam non sine miraculo eunt, & redeunt, multa de sanctitate uestra ab his audio, quæ mihi incredibilem afferunt uolu ptatem & gaudium. Sed multo maiorem omnino caperem laetitiam, si mei Oratores breuiore itineris compendio uti possent, & noua referrent. Sicuti antequam moriar, aliquando allaturos spero non sine gratia Dei omnipotentis, qui uos in sanitatem & sanctitatem conservet, Amem. Exoscular autem pedes sanctos, & supplex oro ut benedictionem ad me mittat. Has quoq; lite

G ras

DAMIANI A GOES

ras Sanctitas tua accipiet de manu fratris mei
Ioannis Regis Portugalliae, per eūdem Orato-
rem nostrum Franciscum Aluarez.

Has epistolas a Paulo Louio ueras, huic no-
stro opusculo ob maiorem huius historię cogni-
tionem adiunximus, nec in eis aliquid mutauis-
mus, quanque in quibusdam locis mutatione in-
diguissent, præter pauca, quæ ex Arabico &
Abesynico idiomate, in Lusitanicu sermonem,
omnino male interpretata, mutato epistolarum
ordine, fuerunt. Idem Louius quoque in harum
epistolarum enarratione, uolumen quod Fran-
ciscus Aluarez de situ, moribus, cultuque Aethi-
opum composuit, in quo etiâ totum suum iter
explicat, pollicitus est Latinum facere, cuius uo-
luminis unum exēplar penes me habeo. quod si
Louius a uertendo supersedeat, nō abhorrerem
ab eius rei tractatione. quanquam id prouinciæ
non libenter suscepero, nisi id tuis sanctissi-
me pater mandatis mihi imperatum cognoue-
ro, quo tutio esse possim aduersus calumnio-
sos, quibus uideri possim non studio Reipubli-
cæ Christianæ, sed æmulatione gloriae Louianque
hoc onus subiisse. Ad quod cum fide tractan-
dum, me nō parum instructum arbitror. Nam
cum perfunctus Germanicis, & Sarmaticis le-
gationibus, e Belgica ad Regem meū Ioannem
cius no-

DE AETHIOPVM MORIB.

eius nominis tertium redeo, cuius plurimam in
me excipiendo & humanitatem, & munificen-
tiam expertus sum, Vlyssippone in colloquium
Aethiopici legati incido, uiri & Episcopali di-
gnitate uenerabilis, & fide, doctrina, ac eloquē
tia Chaldaicæ, & Arabicę lingue admirabilis,
& in summa idonei, qui a potentissimo Aethio-
pū imperatore, ad maximos principes de maxi-
mis rebus mitteretur. huic autē nomen fuit Za-
ga Zabo, cum eo post initam inter nos firmis-
simam & constantissimam amicitiam, sèpius
sermonem miscui, uariascq; disputatiōes habui,
præsertim de moribus & religione Aethiopum
Christianorū, cupiebam enim eas res non ex
uerbis interpretantium peregrinorum, sed ab
indigena, coram, & ore tenus cognoscere. Inter
cætera epistolā quoq; per Matthēum legatum
in Lusitaniam missam ei ostēdi, quam ego iam
pridem cum articulis, quos coram Rege Ema-
nuele exposuerat, in lingua latinam (ut dictum
est) transtuleram, multaque ex illius admonitu
castigavi, ubi interpretatio non plene rei fidet,
aut indolem affecuta erat, quod tum mihi, tum
Iouio non raro accidisse affirmabat, habebam
enim iam mecum ipsius Iouij epistolas, quas sum
ma cum diligentia contulimus. Postmodum ui-
gente inter nos iam uera Christi charitate, &

G ij amicitia

DAMIANI A GOES

amicitia, ausus sum ab eo petere planam, & legitimum Aethiopum fidei, & religionis enarrationem, eamque sua manu describi, quod mihi summa cum alacritate concessit, illamque statim describere incepit, sententiam summa fide in latinam linguam refudi, ut ex sequentibus patet. Id uero conscientia urgente eo ardenter ag gressus sum, quod non ignorarem, si haec apud me perissent, a nemine mortalium unquam in lucem proditura fuissent. Inde quod sic digesta & composita ad phrasim Chaldaicam & Aethiopicam essent, ut uix a quopiam intelligi potuerissent, nisi a me, qui ea omnia tam ex ore, quam ex scriptis ipsius Aethiopici Oratoris, per multam familiaritatem consequi iam poteram.



DE AETHIOPVM MORIB.
IN NOMINE DOMINI NO-
STRIS IESV CHRISTI AMEN.

Hæc sunt, quæ de fide & religione apud nos Aethiopis habentur & obseruantur.

CREDIMVS in nomen sanctæ Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctū, qui unus est dominus, tria quidem nomina, una diuinitas, tres facies, una uero similitudo, æqua-
Hoc postea ex
lis trium personarum coniunctio, æqualis in- plicat.
quam in diuinitate, unum regnum, unus thronus, unus index, una charitas, unum uerbum, & unus spiritus. Verbum autem patris & filij, uerbum spiritus sancti, & filius est idem uerbum, & uerbum apud Deū & apud spiritum sanctum, & apud semetipsum, sine defectu ullo, aut diuisione, filius patris, & filius ipsius patris sine principio, nempe primo sine matre filius patris. Nemo enim nouit secretum, & mysterium eius nativitatis, nisi pater, & filius, & spūs sanctus. Is aut̄ filius in principio erat uerbū, & uer magis catholichum erat uerbū apud Deū, & Deus erat uerbū. oratori scripta in hoc loco ambi- bant significati- onem, eā, quæ seruimus, aliam explicādam du- ximus, quæ se- per spiritus patris, spiritus sanctus, spiritus filij, gruit, textui in spiritus sanctus est. spiritus autem sanctus spiritus sui, sine ulla diminutione, aut augmentatio ne. is etenim spiritus sanctus, paracletus, deus seruimus, hic in margine explicādam du- ximus, quæ se- per

DAMIANI A GOES

defectu ullo aut per os prophetarum, & in flamma ignis descente
divisione filius dicit super Apostolos in atrium Syon. Qui per
patris, & filius totum terrarum orbem denunciarunt, ac predi-
carunt uerbum patris, quod uerbum erat ipse fi-
lius. Præterea neç pater est primus, inde quod
primo sine ma- pater sit, nec filius postremus, inde q[uo]d filius sit, sic
tre filius patris, spiritus sanctus neç primus, neque postremus
G.c. est. Tres personæ unus Deus, qui uidet, & a nes-
mine uidetur, qui unico suo consilio cuncta crea-
uit. Postea uero filius sponte propter nostram
salutem, ipso patre uolenti, spiritu sancto con-
sentienti, ex altissimo suo domicilio descendit, &
incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria virgi-
ne, que Maria dupli ornabatur uirginitate,
una spirituali, altera uero carnali. Et natus est si-
ne aliqua corruptione, ipsa Maria matre post
partum uirgine permanenti, & magno cum mi-
raculo & arcano igne diuinitatis afflata, sine san-
guine, & doloribus peperit filium suum Iesum
Christum, qui homo innocens & sine peccato
fuit, & perfectus Deus, & perfectus homo, unū
solummodo habens aspectum. Adoleuit sensim
ut infans, sugens lac Mariæ virginis matris suę,
& cum attigisset trigeminum annum, baptiza-
tus est in Iordanie. Et ut cæteri homines, ambu-
lauit, fuitq[ue] lassus, sudauit, esuriuit, & sitiuit,
Hæc omnia passus est sponte & uoluntarie, plu-
rimaç;

DE AETHIOPVM MORIB.

rimaq; fecit miracula. Atq; per suam diuinitatem cæcis uisum restituit, claudos sanauit, leprosos mundauit, mortuosq; suscitauit, ipseq; postremo uolens captus est, & flagellatus, ac colaphis uerberatus, & crucifixus, & laguit & mortuus est propter peccata nostra, & sua morte uicit mortem ac diabolum, & sua uiua ægritudine dissoluit peccata nostra, & laguores nostros tulit, & baptismo sanguinis sui, qui baptismus mors eius fuit, baptizauit patriarchas & prophetas, descenditq; ad inferos , ubi erat anima Adæ & eius filiorū, atq; anima ipsius Christi, *Hoc in fine lae* quæ est ab Adam, quam anima Adæ ipse Christus explana. stus accepit ex sancta Maria uirgine, & in splendor, & potētia diuinitatis sue, & crucis fortitudine fregit æneas ac igneas inferorū portas, & catenis ferreis satanā colligauit, & redemit Adam & eius filios. Hæcoīa Christus fecit ppte rea quod plenus diuinitate erat, & ipsa diuinitas erat cum ipsius anima, & erat etiam cum ipsius sanctissimo corpore, quæ diuinitas uirtutē dedit cruci. Quam quidē diuinitatem, is cū patre in trinitate & unitate semper habuit, & habet cōmunem. Nec enim ipse Christus obambulās in terris, caruit oculi momēto diuinitate, uel dignitate sua. Tum demū sepultus, tertia die ipse Iesus Christus, Princeps resurrectiōis, Iesus Christus

stus

DAMIANI A GOES

etus dulcissimus, Iesus Christus, princeps sacerdotum, Iesus Christus Rex Israel, cum magna potētia, & fortitudine resurrexit. Et postquam omnia fuerunt adimpta, quæ sancti prophete prædixerunt, ascendit in cœlum cum gloria, & sedet a dextra patris, & uenturus est cum gloria, ferens ante faciem suam crucem, & in manu gladium iusticiae, iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credo unam sanctam catholicam, & Apostolicam ecclesiam, credo unum baptismum, qui est remissio peccatorum, spero resurrectionem mortuorum, & uitam uenienti seculi, Amen. Credo dominā sanctam Mariam uirginem, uirginē inquam spiritu, & carne, quæ ut Dei mater, charitas omnium gentium est, sancta sanctorum, & uirgo uirginū, quam modis omnibus ueneror. Credo sanctū lignum crucis, lectum ægritudinis domini nostri Iesu Christi filij Dei esse, qui Christus salus nostra est, propter quem salvi sumus. Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia. Nos vero prædicamus & credimus fortitudinem crucis domini nostri Iesu Christi, quemadmodum sanctus Paulus doctor noster precepit. Credo sanctum Petrum petram legis esse, quæ lex ædificata est super sanctos prophetas, fundatum & caput Ecclesiae catholicæ & Apostoli-

cæ

DE AETHIOPVM MORIB.

et Orientalis & Occidentalis, ubi est nomē Domini nostri Iesu Christi, Cuius Ecclesiæ potestatem, Petrus Apostolus habet, ac claves regni cœlorum, quibus claudere & aperire, soluere & ligare potest. Is autem sedebit cum alijs Apostolis eius socijs super duodecim sedes, cum honore & laude apud Dominum nostrum Iesum Christum, qui in die iudicij sententiam est de nobis latus. Quę dies gaudij quidem sanctis, doloris autem & stridoris dentium, peccatoribus erit, cum deficiantur in ardentes flamas inferni cum eorū patre diabolo. Credo sanctos Prophetas & Apostolos, Martyres & Confessores ueros Christi imitatores fuisse, quos cū sanctissimi mis Dei Angelis ueneror & honoro. paricę modo etiam omnes illorum sectatores complector & deosculor. Deinde confessionem uocalem omnium meorum peccatorum credo faciendam esse apud sacerdotem, cuius precibus per Christum Dominum nostrum, salutem animæ meæ spero me consecuturum. Præterea Pontificem Romanum tanquam primum Episcopum & pastorem ouium Christi agnosco, ac omnes patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, quorum ille caput est, quibus tangi ipsius Christi ministris pareo, ac obedio.

Hæc est fides & lex mea, & populi Aethiopianæ

DAMIANI A GOES

pīæ, qui est sub ditione Preciosi Ioannis, quæ fides atq; Christi amor, ita sunt apud nos confirmata, ut ea nec per mortem, nec per ignem, nec per gladium, fretus auxilio Saluatoris nostri Iesu Christi, nunquam sim abnegaturus, quam fidem omnes portaturi sumus in die iudicij ante faciem eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

Iam his enumeratis, erit nobis explicanda disciplina & doctrina, ac lex quæ Apostoli in sanctis Synodorum libris & canonū (quos Mandata atq; Abethilis vocamus) nobis præcepérunt: Sunt enim ijs sanctæ Ecclesiæ legum libri octo, quos omnes Apostoli Hierosolymis congregati, scripserunt. De quibus habita inquisitione, cum quibusdam doctoribus, postquam in Lusitaniam ueni, ne ninem reperi, qui horum memoriam teneret. Observationes vero, quas sancti Apostoli nobis in his libris præscripserunt, hæ sunt. Primo oportere nos iejunare singulis diebus Mercurij in memoriam consilij Iudeorum, quo die ab eis decretum & consultum fuit, Christum occidendum esse. Præterea iejunandum esse singulis dieb⁹ Veneris, quo in die Christus Iesus crucifixus & mortuus est pro peccatis nostris. Et in his duobus diebus præceptum est iejunare usq; ad occasum solis. Quadragesima vero diebus quadragesimalibus, pane & aqua iejunandum

DE AETHIOPVM MORIB.

nandum iniunxerunt. Septem diei ac noctis ho-
ris incubere rebus diuinis. Ex ijs edictis quoq;
tenemur & sacrum celebrare diebus Mercurij,
ac Veneris tempore uespertino, quoniam tunc
expirauit dominus noster Iesu Christus in san-
cto ligno crucis. Diebus autem Dominicis, oēs
unanimiter ut congregaremur in sacra ēde hora
tertia die ab ortu solis ad legendum & audiendū
prophetarū libros uoluerunt, atq; postea
ut sanctum Euangeliū prædicemus, sacrum
quocq; faciamus. Præterea nouem dies festos in
Christi memorī celebrandos constituerunt, sci-
licet, Annunciationis, Natiuitatis, Circuncisio-
nis, Purificationis siue Candelarum, Baptismi,
Transfigurationis, Dñicæ Palmarum, usq; ad
octauam Veneris sancti (ut uocamus) qui dies
duodecim sunt. Ascensionis quoq; atq; Penteco-
stes cū suis etiam ferijs. Et ex horum librorum
præceptis, sine aliqua exceptione a festo Paſchæ
usq; ad Pentecostē singulis diebus uescimur car-
nibus, nec per hos dies, usq; ad octauam Pente-
costes iejunare tenemur, id quidem propter ma-
iorem uenerationē & honorem Resurrectionis
Domini nostri Iesu Christi. Item uoluerunt ut
diem mortis, & assumptionis Mariæ uirginis
cum omni honore celebraremus. Præterea præ-
ter Apostolorum præcepta quidam Preciosus

Hij Ioannes

DAMIANI A GOES

Ioannes nomine Semen Jacob constituit in honorem eiusdem beatæ uirginis, singulis annis triginta supra tres dies etiam celebrādos. Deinde propter Christi saluatoris nativitatem celebra ri iussit de unoquocq; mense diem unum, qui dies uigilimus quintus semper est. Constituit quoq; ex singulis mensibus, unum diem propter sanctum Michaelem celebrandum. V iterius ex indicto Synodorum Apostolorum, diem martyris sancti Stephani, ac aliorum martyrum celebramus. Ex institutione quoq; Apostolorum celebrare tenemur duos dies, scilicet Sabbati & Dominici, in quibus non licet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidem. Diē uero Sabbathi ob id, quod Deus in eo mūdi perfecta creatione quieuisset, seruamus. quem ut uocari uult, Sanctum sanctorum, ita plane uideretur contra eius uoluntatem & præceptum fieri, qui cœlum & terram potius, q; suum uerbum periire uult, si cum magno honore, ac religione is dies non celebraretur, præsertim cum ipse Christus non ad soluendum legem, sed ad implendum uenerit. Quapropter nō ad imitationem Iudæorum, sed iussu Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum Apostolorū eum seruamus, quorum Iudæorum gratia in nos Christianos translata est. In quo die Sabbathi, excepto tempore

DE AETHIOPVM MORIB.

pore quadragesimali, carnes semper comedimus. Id tamē in regno Bernagaes, ac Tigri Mahon non seruatur, quorum duorum regnorum indigenę ex ueteri consuetudine, carnibus in diebus Sabbati & Dominici quadragesimalibus uescuntur. Diem autem Dominicum, ut cæteri Christiani, in memoriam Christi resurrectionis celebramus. Diem tamen sabbati ex legis libris & non ex Euangelio celebrandum esse scimus. Nihilominus Euangeliū finem legis, ac Prophetařum esse non ignoramus. In quibus duobus diebus credimus animas piorum defunctorum, in purgatorio minime cruciari. Quāquem Deus in his sanctissimis diebus, animis concedit, donec inde (finito termino suarum poenarum pro facinoribus in hoc seculo meritarū) penitus emergant. Ad quas poenas minuendas, ac earum cruciatus tempus attenuandum, eleemosynas pro defunctis factas, credimus ipsis animis in purgatorio degentibus maxime prosesse. Ad quarum animarum remissionem Patriarcha nullas dat indulgentias, id ad solum Deum, ac poenarum temporis constitutionem credimus spectare. Nullos quoq; dies indulgentiarum Patriarcha concedit.

Ex Euāgelij lectione, sex tantum tenemur servare præcepta, quæ Christus ore proprio ita ex plas-

DAMIANI A GOES

planauit. Esuriui & dedistis mihi manducare,
Sitiui & dedistis mihi bibere. Hospes eram, &
collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infir-
mus, & uisitastis me. In carcere eram, & uenistis
ad me. Quę uerba Christus in die iudicij solum
modo est prolatus. quoniam lex, teste Paulo,
peccata nobis ostendit, quam legem, excepto Ie-
su Christo, nemo custodire potuit. Ipso Paulo
quocq; teste, Omnes ex peccato nati sumus, pro-
pter Eue matris nostrae transgressionem, & pro-
pter eius maledictionem. Præterea inquit ipse
met Paulus, nos propter Adā mori, & propter
Christi uitam priuere, qui Christus ob suam im-
mensam misericordiam, nobis hęc sex precepta
dedit, ut cum uenerit in sua maiestate, iudica-
tum uiuos & mortuos, saluemur. Quibus uer-
bis, ac præceptis in ipso tremendo iudicij die, bo-
nis gloriā sempiternā, malis ignem, & per-
petuam damnationem denuntiabit. Et quinq;
tantum peccata mortalia (ut uocant) annume-
ramus, id quidem ex ultimo Apocalypsi capi-
te, ubi dicitur, Foris autem canes, & uenefici, &
impudici, & homicide, & idolis seruientes, &
omnis qui amat, & facit mendacium. Item con-
stitutum est a sanctis Apostolis, in Synodorum
libris, clericos uxores licere ducere, id quidem
postq; cognitionem aliquam habuerint rerum
diuinarum

DE AETHIOPVM MORIB.

diuinarum. Deinde inito matrimonio in ordinem presbyterorum recipiuntur, in quem nisi post annum trigesimum nemo recipitur, nec spus*rū*, nec nocti aliqua ratione ad eundem sacratis sumum ordinem intromittuntur, qui ordines a nemine, nisi ab ipso patriarcha dantur. Mortua tamen prima uxore Episcopi aut clerici aliam ducere non possunt, nisi patriarcha ad id dispensauerit (quod aliquando indulgetur magnibus propter publicum bonum) nec habere concubinā, nisi se uoluerint a sacris abdicare, quod si fecerint, res diuinās amplius tractare non possunt. Et hoc tam stricte seruatur, ut iij presbyteri, qui secundo uxorem duxerint, ne candelam quidem unam Ecclesię consecratam, in manum auderent accipere. Quod si inuentū fuerit Episcopū aut clericū filium spurium habere, ab omnibus beneficijs ac sacris ordinib*g* abdicatur, quorum bona, si sine legitima prole discedant, ad Preciosum Iоannem, & nō ad Patriarcham ueniūt. Et id quod presbyteri apud nos uxores possideant, ex Paulo accepimus, qui mauult clericum & laicum nubere curi. Is quoq*z* inquit, oportere Episcopum virum unius uxoris esse, & irreprehensibilem, sobrium, pariq*z* modo uult esse diaconos. Atq*z* etiam ut Ecclesiastici perinde atque seculares proprias uxores ex legitimo
matri

DAMIANI A GOES

matrimonio habeant. Monachi tamen uxores non ducunt. Et tam laici q̄ clerici unam tantum possident uxorem, & matrimonium non contrahitur, pro foribus sacræ ædis, sed in prouatis domibus Paronymphorū. Ex sanctorum Apostolorum constitutione habemus, ut si sacerdos fuerit comprehensus in adulterio, homicidio, latrocinio, uel falsum testimonium tulerit, ut a sacris ordinibus destituatur, ac ut cæteri malefici puniantur. Rursus ex eorum Apostolorum instituto, Si aliquis siue ecclesiasticus, siue laicus cum uxore congressus fuerit, uel in somnis pollutus fuerit, spatio quatuor & uiginti horarum templum nō ingreditur, nec id quoq; menstruatis mulieribus licet, nisi septimo quoque die a menstruo, id quidem omnibus uestibus ablatis, quibus tempore mestrui utebatur, ipsaq; bene lota, atcq; a fôrdibus repurgata. Itē mulieri parienti masculum, non conceditur uenire in templum nisi post quadragesimū diem, parienti uero foeminam, post octogesimū. Hac consuetudinem ex ueteri lege, ac ex noua Apostolica habemus, quas leges, instituta, ac præcepta diligenter in omnibus, quatenus fieri possit, obseruamus. Deinde prohibitum est apud nos, ne aut gentes, aut canes, aut alia huiusmodi animalia, in templo nostra intrent. Item non datur

DE AETHIOPVM MORIB.

tur potestas nobis adiungendi templum, nisi nudis
pedibus, necq; licet nobis in ipso templo iudere,
obambulare, aut de rebus prophaniis, nec
spuere, aut screare in ipso templo. Quia
siæ Aethiopiæ non sunt similes terræ illi, ubi
populus Israel comedit agnū paschalem, dece-
dens ab Aegypto, in quo loco Deus iussit eos
comedere indutos calciamentis, & zonis accin-
ctos propter terræ pollutionē. Sed similes sunt
monti Synai, ubi dominus locutus est Mosi di-
cens, Moses Moses, exue calciamenta tua, quo-
niam terra quam pedes tui premunt, sancta est.
Et hic mons Synai parens nostrarum Ecclesia-
rum est, ex quo suam acceperunt originem, ita
ut Apostoli ex prophetis & nouum testamen-
tum a ueteri. Præterea nec sacerdoti, nec laico,
uel alij personæ cuius conditionis sit, assumpta
uenerabili Eucharistia licet expuere, a tempore
matutino, usq; ad occasum sois, & si spuerit,
grauissima poena multatur. Item in memoriam
Christi baptismi, singulis annis, omnes in Epi-
phanijs Domini baptizamur, id quidē facimus
non q; ad salutem spectare credimus, sed pro-
pter Seruatoris nostri laudem ac gloriam. Necq;
uberius, atq; refertius spectaculis, iocis & cete-
monijs, ullum aliud festū celebramus, quoniam
in hoc die primo manifeste apparuit sanctissi-

DAMIANI A GOES

ma Trinitas, cum dominus noster Iesus Christus baptizaretur in flumine Jordane, cum spiritus sanctus in specie columbae super caput eius descendebat, & uox de celo dixerit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Qui spiritus sanctus apparens in specie albæ columbae, cum facie & figura patris & filij apparuit in una diuinitate. Parique modo Christus uisus est a sanctis prophetis p multas similitudines & formas. Primum in specie arietis albi, propter salutem Isaac filij Abrahæ, eoque modo nominauit Jacob, Israel, & Jacob, Iudam catulum leonis, cui super alios fratres potestatem tribuit dicens, Ad prædam filii misericordisti, requiescens occubisti ut leo, & quasi legna, quis suscitabit eum? Itē manifestauit se Mosi in monte Synai in specie flammæ igneæ, ostendit se sancto Danieli prophetæ in similitudine petræ. Ezechieli quoque filio hominis apparuit, & Isaiae in forma infantis. Manifestauit etiam se Regi Dauidi, & Gedeoni in rore super uellus. Præter has recensitas formas, in multis alijs uisus est a sanctis Prophetis. Tametsi tam uarijs formis fuerit uisus, semper similitudinem patris & spiritus sancti representauit. Et cum Deus etiam creasset mundum, dixit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & fecit Adam ad suam imaq.

DE AETHIOPVM MORIB.

imaginem & similitudinem. Propterea nos dici hic explicata es
mus patrem, filium, & spiritum sanctum esse quae in principio de tribus fa
tres uultus, in una similitudine & diuinitate.
Habemus quoque a temporibus Reginæ Saba
circuncisionem, quam ad hunc usque diem serua-
mus. Erat autem huic Reginæ Saba nomen pro
prium Maqueda, quæ more maiorum colebat
Idola. Ad cuius aures fama sapientiae Salomo-
nis cum peruenisset, quendam uirum prudenter
Hierosolymam misit, ut re omni explorata, cer-
tior de Regis prudentia redderetur. Quo reuer-
so & re explanata, subito se ad iter Hierusalem
uersus componit. Atque cum eo peruenisset, præ-
ter multa alia, quibus a Salomone erudita est,
legem ac prophetas didicit, eaque in patriam (fa-
cultate impetrata abeundi) proficiscens, in itine-
re filium, quem ex Salomone conceperat, pepe-
rit, qui uocatus est Meilech, quem ipsa Regina
in Aethiopia usque ad uigesimum ætatis annum
apud se educauit, ac postea ad Salomonem eius
patrem remisit, ut ab eo scientiam & sapientiam
disceret, quem per literas obsecravit, ut filius Mei-
lech coram arca foederis, testamenti Domini re-
gem Aethiopiarum consecraret, ac crearet, neque ul-
terioris foeminæ ius regnandi in Aethiopia habe-
rent, ut tum in more erat, sed ut recto tramite
masculi in regnum succederent. Quicum Hiero-
solyma

Iij

DAMIANI A GOES

solymam uenit , a patre facile matris postulata
obtinuit, ac pro Meilech vocatus est David,
quem iam abunde in lege, atq; in alijs discipli-
nis edocum, pater Salomon constituit ad ma-
trem remittere, id quidem cum maiore ornatu,
Regioc; apparatu. Ad quod munificentius co-
ficiendum, comites illi nobiles, ac primorum ui-
torum filios tradidit, qui ei pro Regio more in
seruiren. Præterea decreuit cū eo mittere Azar-
iam principē sacerdotum, filium Sadoch prin-
cipis quoq; sacerdotum. Quod cum Azarias in
tellexisset, Davidē hortatus est, ut ei a patre im-
petraret potestatem sacrificandi pro successu iti-
neris, ante arcam foederis domini. Qua re'a Sa-
lomone impetrata, Azarias subito tabulas, q; se-
cretissime potuit, ad imitationē tabularum fœ-
deris Dñi dedolare curat. Quibus perfectis, ad
sacrificandum se componit, in ipsoq; sacrificio
clanculum, atq; mira arte, ueras foederis Domi-
ni tabulas ex arca surripuit, pro eisq; adulteri-
nas, quas secum portauerat, reposuit, se solo, ac
Deo conscio. Hæc narratio apud nos Aethio-
pes sanctissima & probatissima habetur , ut ex
historia ipsius Regis Davidis (quæ iucundissima
lectu est) apparet. Cuius historię liber tantæ
crassitudinis est, quantq; omnes Pauli epistolæ.
**Cæterum cum iam David ad fines Aethiopiarum
perue-**

DE AETHIOPVM MORIB.

peruenisset, Azarias eius tentorium ingressus, id quod semper apud se occultum tenuerat, ei re uelat, nempe tabulas foederis Domini penes se esse. Qua re audita, subito Dauid ad tētorium ubi Azarias tabulas foederis Domini habebat accurrit. ibicq; prē nimio gaudio ad exemplum aui sui Dauidis, ante arcam, in qua tabulæ erāt, incepit saltare. Quo a suis uiso, & re intellecta, omnes pari modo gaudia & lætitiam ingētem celebrauerunt. Tandem peragrata magna Aethiopiæ parte ad suam matrem peruenit. Quæ statim ei imperium omnium prouinciarum de tulit, omnemq; administrandi regni curam in eius humeros reclinavit. Et ab eo tempore ferme iam inde usq; in hunc diem elapsis interim bis millenis, sexcentenis annis, regnum Aethiopiæ recto tramite, de masculo semper ad masculum transfertur. Et ab his temporibus legē Domini, & circuncisionem seruamus, ut ante dictum est. Abeodem quoq; tempore hucusq; ministeria, que Salomō filio suo Dauidi ad aulam suam gubernandam ordinauit, in eo ordine ac familijs, quo tunc temporis erant, conseruantur, nec aulica ministeria ex alia stirpe deligere fas habet, uel ipse Imperator. Insuper iussu, & decreto ipsius Reginæ Maquedæ, mulieres quoq; circumciduntur. Ad id ea ratione deducta est, ut

quemq;

DAMIANI A GOES

quemadmodum uiri præputium habent, eodem
quocq; modo mulieres etiam quandam glandu-
losam carnem, quam Nympham uocant, in ge-
nitalibus habent, non ineptam accipiendo cha-
racteri circuncisionis. Id quod fit tam in mascu-
lis q; in fœminis ad octauum diem. & post cir-
cuncisionem masculi baptizantur ad quadrage-
simum diem, mulieres uero ad octogesimum, ni-
si aliqua interuenerit ægritudo, ut opus sit festi-
natione. quod si ante tempus constitutum bapti-
zentur, infantibus non licet lacte matris lacta-
ri, sed nutricis tantum, id quidem donec matres
purifcentur. Et aqua in qua baptizantur, exor-
cismis consecratur & benedicitur, & ea ipsa die
qua pueri baptizantur, uenerabile corpus Do-
mini accipiunt, sub exigua specie panis. Nos fer-
me prius exeteris Christianis omnibus, bapti-
sum ab Eunuco Candacis Reginæ Aethio-
piæ, cui nomen erat Indich accepimus, ita ut in
Actis Apostolorum traditur, quæ una cum cir-
cuncisiōe (quā tum temporis, ut prius dictum
est, habebamus) sâcte & Christiane obseruamus,
& Deo adiutore sumus perpetuo obseruaturi.
Nec quicquam preter ea, quæ in lege & Prophe-
tis, & in Euangilio, atq; in libris Synodorum
Apostolorum sunt, seruamus, aut admittimus,
& si quæ alia præter hæc recipimus, ea seruan-
tur

DE AETHIOPVM MORIB.

tur interim, quod ad ordinem & pacem Ecclesiae uidentur spectare, id tamen sine aliquo peccati vinculo. Quamobrem circumcisio nostra immunda non est, sed lex & gratia data patri nostro Abrahæ est, quam a Deo tanquam signum accepit, non ut propter circuncisionem saluus fieret, aut filij eius, sed ut ipsi filij Abrahæ, a cæteris nationibus dinosceretur. Et id quod symbo lo circuncisionis latenter ostenditur, eximie seruamus, nempe ut corde circūcisi simus. Nec ob circuncisionem gloriamur, nec etiam cæteris Christianis putamus ob id nobiliores, nec Deo acceptiores esse, apud quem nulla est acceptio personarum, teste Paulo, qui etiam ostendit nos saluos fieri non propter circūcisionem, sed propter fidem, quia in Christo Iesu nec circumcisio aliquid ualet, nec præputium, sed noua creatura. Is autem Paulus nō predicauit ad destruendam legem, sed ad stabiliendam, qui circumcisus quoq; fuit, & ex semine Beniamini. is quoq; Timotheum iam Christianum factum ex matre Hebræa, & ex patre Gentili natum circuncidit, sciens Deum circumcisionem ex fide, & præputium per fidem iustificare. Et ut ipsemet ait, factus est omnibus omnia, ut omnes faceret salvos, Iudæis tanquam Iudeus, ut Iudæos lucratetur. His qui sub lege erāt, quasi sub lege esset,

cum

DAMIANI A GOES

cum ipse non esset sub lege , ut eos qui sub lege erant, lucrifaceret. His qui sine lege erant, tanquam sine lege esset, cum sine lege Dei non esset, sed in lege Christi, ut lucrifaceret eos , qui sine lege erant. Et factus est infirmus, ut infirmos lucrifaceret, id quod fecit, ut ostenderet non ex circuncisione , sed ex fide nos salutem consecuturos. Unde cum Hæbræis prædicasset, tanquam Hebrewus uarijs sermonibus locutus est, dicēs, Multifarie, multisq; modis olim Deus locutus est patribus nostris in Prophetis , ostendens eis ex ipsis prophetis, Christum ex semine Dauidis secundum carnem, deinde Christum eis prædictavit, cum patribus nostris in tentorijs, in deserto fuisse, eosq; in terram promissionis introduxisse, per manum Iosuæ. Præterea idem quoq; Paulus inibi testatur Christum principem fuisse sacerdotum, ac in nouum tentorium intrasse, quod est sanctum sanctorum , & sacrificio sui corporis. Et sanguinis, sanguinem hircorum ac taurorum, quo nemo accedentium poterat iustificari, aboleuisse, & sic multis modis locutus est Iudæis, multis quoq; ritibus, sancta & incorrupta fide, se a suis coli patitur. Præterea apud nos habentur semichristiani pueri illi, quos hic audio Paganos ab Romana Ecclesia uocari. Qui quoniam sine baptismo moriantur, semicristias.

DE AETHIOPVM MORIB.

christiani debent appellari. quoniam filij sacrā
et sanguinis parentū ex baptismo, & ex spiritu
sancto, & ex sanguine Domini nostri Iesu Chri-
sti nati sunt, ex quibus tribus testimonij omnes
Christiani reputātur. Quoniam tres sunt, qui te-
stimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & San-
guis, teste Ioanne in sua prima Canonica, etiā
ut Euangelium dicit, bona arbor fert bonos
fructus, mala uero arbor, malos. Ideoque filij
Christianorum non sunt, ut filij Gentilium &
Iudaeorum, atq[ue] Maurorum, qui sunt arbores
aridæ sine aliquo fructu. Christiani autem sunt
electi in utero matrum suarum, ut sanctus Hie-
remias Propheta, & sanctus Iohannes Baptista
fuerunt. Insuper infantes Christianarum mulie-
rum, sunt electi & consecrati ex corporis & san-
guinis domini nostri Iesu Christi communica-
tione. Nam foeminæ grauidæ, cum assumunt
uenerabile corpus domini nostri Saluatoris Ie-
su Christi, infans capiens inde nutrimentum, fit
sacratus. Quoniam sicut infans existens in ute-
ro, ex eius matris affectibus contristatur ac læta-
tur, sic etiam ex matris nutrimento nutritur. Et
ut ipse Dominus ait in suo sancto Euangeliō.
Si quis comederit corpus meum, & biberit san-
guinem meum, non gustabit mortem in æter-
num. Rursus si quis gustauerit meum corpus,

K &

DAMIANI A GOES

& biberit meum sanguinem, erit mecum. Ad hæc Paulus doctor Gentium ait, Vir infidelis iustificatus est per mulierem fidelem, & mulier infidelis sanctificata est per virum fidelem, alio quin filij vestri immundi essent. nūc autem sancti sunt. Quod si ita est, ut filij matris infidelis, sanctificantur in patris fidelitate, multo sacraiores esse debent illi, qui ex patre & matre fidibus nati sunt. Ob quam rem longe magis pium erit, vocare infantes antequam baptizati sint, semichristianos, quam paganos. Id quoque dixerunt Apostoli in suis synodorum libris. Omnes qui habent fidem & non acceperunt baptismum, merito possunt dici semichristiani, qui etiam dicunt in memoratis libris, Si Iudæus, Maurus, Gentilis fidem accipere uoluerit, non esset illico admittendus, sed uoluerunt eum prius uenire ad ualvas templi, ibique audire cōciones & uerba Seruatoris Christi, ut qui prius ad fidem incitatus, ac quasi arreptus fuit, iugum legis cognoscat, quod cū fecerit, uictari possit semichristianus, quamq[ue] baptizatus non sit, quemadmodum Euangeliū docet, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. Et est etiam moris apud nos ut mulieres grauidæ ante partus tempus semper confiteantur, ac ut corpus Dominicum confessio

88

DE AETHIOPVM MORIB.

ſæ accipient. & eæ quæ hoc non faciunt, ac puerorum patres, ſi eas ad id non impulerint, habentur impij & mali Christiani. Præterea ſciendum, apud nos confirmationem & chriftmaſſue extreſam olei unctionem, pro ſacramento non haberí, nec in uſu eſſe, ut uideo hic ex Romanæ ecclesiæ conſuetudine fieri. Item ex lege Moſi, ac Apoſtelorum iñituto non licet nobis cibos immundos comedere, id facimus ad omnem legis ac ſcripturarum obſeruationem, quarum octoginta & unum libros, tam ueteris q̄z noui testamenti annumeramus, ſcilicet ex ueteri quadraginta & ſex, & ex nouo triginta & quinacqz, quem numerum ſingulorum librorum computatioē expreſſum habemus ab iñiſis Apoſtolis, quibus libris ueteris & noui testamenti nihil addere, nec minuere licet, quanquam Angelus de caelo id nobis perſuadere conaretur. Et qui talia auderet tentare, pro anathemate repudaretur. Quare nec Patriarcha, nec Epifcopi nostri, per ſe, nec in concilijs putant, aut opinantur ullas leges ſe condere poſſe, quibus ad mortale peccatum obligari quis poſſit. In iñiſis etiam Syriorum libris conſtitutum a Sanctis Apoſtolis eſt, oportere nos conſitteri, atque quam poenitentiam pro magnitudine ſingulorum peccatorum à confeſſore accipere debemus. Inſtruunt

Kñ quoqz

DAMIANI A GOES

quocz nos, quomodo orandum & ie*u*nadum sit, & charitas exercenda. Præterea hoc familiastissime utimur, quod statim ad pedes confessoris, cum peccatum commissum est, accurrimus, & hoc faciunt omnes tam masculi, quo fœminæ cuiuscunqz conditionis sint. Et quotiescūqz contitemur, assumimus corpus Domini, & id quidem sub utracz specie, in pane azymo triticeo. Quod si singulis diebus confiteamur, singulis quoque diebus accipimus uenerabile Sacramentum, & id tam apud clericos, quo apud laicos in usu est. Et sacramentum Eucharistiae non seruat apud nos in templis, ut fit hic apud Europæos, nec ægroti corpus Dominicum accipiunt, nisi dum conualuerint, id fit, quoniam omnes tam laici quo clerici consueuerunt illud, ad missis in hebdomada accipere, & omnes idem uolentes facere templum accedunt. quippe nemini datur nisi in ipso templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipsi Precioso Ioanni. Utimur etiam semper uno confessore, nec alium accipimus, nisi eo absente, quo reuerso, ad ipsum redimus. Et confessores omnium peccatorum dant nobis ex Ecclesiæ potestate absolutionem, nullo casu Episcopis, aut Patriarchæ reseruato, quis gravissimo. Ulterius presbyteri non possunt audire confessionem eius, cui confitentur. Præterea presby-

DE AETHIOPVM MORIB.

presbyteri & monachi & omnes Ecclesiæ ministri, apud nos suo labore uiuunt. Quippe ecclesia nullas habet decimas, nec accipit, habet tam prouentus & agros, quos ipsi clerici & monachifodiunt, aut sua, aut aliena opera colunt, & nullas alias habent eleemosynas, præter eas, quæ gratis in templis offeruntur pro exequijs mortuorum & alijs pijs rebus. nec eis licet uicatim mendicare, nec a plebe aliquid eleemosynarum extorquere. Item in nostris templis singulis diebus, una tantum celebratur missa, quam sacrificij loco habemus, nec plures ex ueteri instituto celebrare licet. pro qua quidem missa, nullum precium aut mercedem accipimus, in quo ministerio sacramentum Eucharistiae non ostenditur, ut hic video fieri. inibicq; omnes Sacerdotes & Diaconi, Subdiaconi, & templum accedentes corpus Domini accipiunt, & nullā pro remissione animarum facimus missam, sed mortui cum crucibus & orationibus sepeliuntur in certo loco, super quos mortuos, præcipue inter alias orationes, initium Euangelij Ioannis dicimus, & sequente die a sepulto mortuo, eleemosynas pro eis offerimus, id etiam postea facimus, certis diebus, in quibus omnibus epulis funebribus indulgemus. De fide ac religione nostra dimicimus, Nunc uero quoniam postq; in Lusitaniam

DAMIANI A GOES

niam strenimus, crebras disputationes ac conten-
tiones cum doctoribus quibusdam, præsertim
cum Magistris nostris, Didaco Ortysio, Episco-
po insulæ sancti Thomæ, atq; Regis facelli de-
cano, & Petro Margalho, de delectu ciborum
habuimus, de hac re aliquid dicere non erit in-
congruum. Primum sciendum est nos ex ueteri
testamento delectum ciborum seruare, qui dele-
ctus ab ipso uerbo Dei constitutus est, quod
uerbum postea natum est ex Maria uirgine, &
ambulauit atq; uersatum est cum suis Aposto-
lis. Id quoq; uerbum Dei semper uiuum, inte-
grum, inuolatum sermonem, ac uerbū habuit.
Nec id quod olim ex immundicia prohibuit co-
medere, postea in aliquo sui Euangelij loco di-
xit esse comedendum. Id uero quod in Euans-
gelio ait, Quod per os intrat, hominem non co-
inquinare, sed ea quæ ex ore procedunt, non ea
de causa dixit, ut frangeret id quod antea con-
stituerat, sed ut refutaret superstitionem Iudeo-
rum, qui arguebant Apostolos, q; illotis mani-
bus panem manducarent. Imo nec Apostoli id
temporis, quando uersabatur cum Domino no-
stro Iesu Christo, unq; usi sunt immundis, nec
gustauerunt ea quæ in lege prohibita sunt, nec
ullus eorum eam transgressus est. Nec ijs tem-
poribus, quæ passionem Domini insecura sunt,
cum

DE AETHIOPVM MORIB.

cum Euangelium coeperunt pr̄dicare Apostoli, ullis apud nos scriptis probari potest, eos edisse, aut occidisse immunda. Verum tamen est Paulum dicere, Omne quod in macello uenit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Postea si quis uos uocat infidelium ad scenam, & uultis ite, omne quod uobis apponetur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Rursus si quis autem dixerit, hoc immolatum est Idolis, nolite manducare propter eum qui indicauit, & propter conscientiam, &c. Omnia hæc dixit Paulus, ut placeret ihs, qui in fide non erant admodum confirmati, quoniam inter hos & Iudeos uariæ consurgebant disputationes ac contentiones, quas ut sedaret, Christianis nondum satis confirmatis indulgentius morigerabatur & acquiescebat. Id tamen faciebat non c̄p legem frangere uellet, sed ut plures ita in ceremonijs relaxandis gratificando ad fidem alliceret. Idem Apostolus quoq̄ ait, Is qui manducat, non manducantem, non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet, quoniam is qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat. Quamobrem indignum est, peregrinos Christi annos tam acriter ac hostiliter reprehendi, ut ego de hac re, & de alijs quæ minime ad uerā fidem

specia

DAMIANI A GOES

Spectabant, reprehensus fui. Sed multo consul-
tius erit huiusmodi Christianos homines , siue
Græcos, siue Armenios, siue Aethiopes , siue ex
quauis septem Christianorum Ecclesiarum, in
charitate & Christi amplexibus sustinere, & eos
sine contumelij permittere , inter alios fratres
Christianos uiuere ac uersari , quoniam omnes
filij baptismi sumus, & de uera fide unanimiter
sentimus. Nec est causa cur tam acriter de cere-
monijs disceptetur, nisi ut unusquisq; suas ob-
seruet, sine odio & insectatione aliorū, nec com-
mercijs Ecclesiæ ob id excludendus est , si pere-
gre in alienis prouincijs domesticos ritus obser-
uet. Id præterea quod in Actis Apostolorum
habemus, nēpe quo pacto Petrus uidit cœlum
apertum, & uas descendere quoddam , ueluti
linteum magnū, quatuor initijs submitti de cœ-
lo in terram, in quo erant omnia quadrupedia
& serpentia terræ, & uolatilia cœli. Cui vox di-
xit, Surge Petre, occide & manduca , Cui Pe-
trus, Absit Domine, quoniam nunq; manduca-
ui omne commune aut immundum. Cui vox
iterum, Quod Deus purificauit, tu commu-
ne dixeris. Quod ubi cum tertio repetitis uici-
bus contigisset, statim illud uas in cœlum rece-
ptum est. Quibus peractis, spiritus misit eum in
Cæsaream, ad Cornelium uirū piūm, & timen-
tem

DE AETHIOPVM MORIB.

tem Deum. Apud quē loquente Petro, cecidit su
per omnes, qui uerbum Dei audiebant, spiritus
sanctus, quo spiritu sancto accepto, Petrus to-
tam familiam Cornelij baptizari iussit. Quod
cum cæteri Apostoli, ac fratres qui in Iudea e-
rant, Cornelium esse baptizatum audiuerint,
Petro, quod dedisset baptismum & uerbū Dei
Gentilibus, succensere coeperūt, dicentes. Qua-
re introisti ad uiros præputiū habentes, & man-
ducasti cum illis? Qui a Petro tota uisione ex-
posita, placati sunt, atq; Deo gratias egerunt di-
centes, Ergo & Gentibus poenitētiā dedit ad
uitam, & recordati sunt uerbi Domini, quod
in coelum ascendens dixit, Ite per omnē terram,
& prædicate Euangelium omni creaturæ, qui
crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui
uero non crediderit, condemnabitur. Tunc A-
postoli coeperunt prædicare Euangelium per
totum mundum omni creaturæ, in nomine pa-
tris, & filij, & spiritu sancti, atq; per omnem
terram exiuit sonus eorum. Et hanc uisionem,
in qua munda, & immunda apparebant, ita in
Aethiopia exponimus, munda animalia fuisse
populum Israel, immunda autem populū Gen-
tilium. Ideo uero Gentiles sunt uocati immuni-
di, quod Idolorum cultores essent, & inferui-
rent operibus diabolorum, quæ immunda sunt.

L Quod

DAMIANI A GOES

Quod autē uox illa dixit, Petre occide, id apud nos in hunc modum interpretatur, Petre baptiza, & quod dixerit, Petre comedere, interpretationum habet, ac si dixisset, doce & prædica fidem, & legem Domini nostri Iesu Christi, populo Israel, & Gentibus. Ad hæc certissimum est nullibi in scripturis reperiri Petrū, aut alios Apostolos immunda occidisse, aut comedisse, post hanc uisionem. Porro sciendum est, cum scriptura loquitur de pane, non intelligendum esse cibum, nec corporale nutrimentum, sed explicationem, ac expositionem Christi, & scripturarum doctrinæ. Consultum profecto esset, omnes doctores & prædicatores de hoc linteo, quod ostensum fuit Petro, sublimia & alta cere, & non illa quæ infima sunt, & quæ nihil ad salutem uidentur pertinere, ac non inde documenta aucupari, quasi fas & licitum esset nobis immunda comedere, quando ex scriptura id minime colligere possunt. Quid quod ipsi Apostoli in suis synodorum libris præceperunt nobis ne comedamus animalia suspēsa, suffocata, lacerata, nec semesa ab alijs bestijs, nec sanguinem, quoniam dominus amat mundiciam & sobrietatem, & odit gulam & immundiciam. Et plurimum etiam eos Dominus diligit, qui abstinent a carnis & multo magis eos, qui ieiunant.

DE AETHIOPVM MORIB.

ieunant pane & aqua, & herbis, ut Ioannes Ba-
ptista eremita ultra Iordanem fecit, qui semper
usus est herbis. Et sanctus Paulus eremita, qui
octoginta annis semper ieunans, commoratus
est in deserto, atq; Sanctus Antonius, & San-
ctus Macarius, ac plurimi alij filij eius spiritua-
les, qui nunquam gustauerunt carnes. Ideoque
fratres mei, non oportet nos contemnere, necq;
insectari proximos nostros, quoniam Iacobus
ait, Qui detrahit fratri, aut iudicat fratre suum
detrahit legi, & iudicat legem. Paulus quoque
docet, melius esse unumquemq; uiuere conten-
tum suis traditionibus, q; cum fratre Christia-
no de lege disputare. Rursus non plus sapere,
q; oportet, sed sapere ad sobrietatem, & unicui
que, sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quapro-
pter indecens est cum fratribus de lege, aut de
delectu ciborum disputare, quod esca nos non
commendet Deo . præsertim cum ipse Paulus
Apostolus dicat, Nec si manducauerimus abun-
dabimus, nec si non manducauerimus, deficie-
mus. Idcirco altiora & coelestem cibum quæra-
mus, & has infimas & inanes disputationes o-
mittamus. Hæc omnia quæ de traditionibus
scripsi, non ad disputationem, nec cōtentionem
scripsi, sed ut meos quatenus fieri potuit, prote-
gerem, ac defendarem contra acerbissimas mul-
L ij torum

DAMIANI A GOES

torum reprehēsiones, quibus nulla fuit reuerētia, quo minus potentissimum Preciosum Ioan nem, ac noseius subditos conuicījs proscindērent, ac Iudæos & Mahumetanos appellarent, eo quod circūcisionem seruamus, & Sabbatum sanctificamus ut Iudei. Deinde quod ueluti Mahumetani, ad occasum solis usq; ieunamus, id hominem Christianum minime decere afferentes. Id quoq; acerbissime obiiciunt sacerdotum coniugia, ut laicorum licita esse apud nos. Præterea nec id sine morsu omittitur, q; primo baptismo, quasi diffisi, singulis annis rebaptiza- mur, quod præter uiros etiam mulieres circunciduntur, more nec apud Iudæos quidē recepto. Deniq; quod delectum ciborum sanctissime obseruatum uolumus. Postremo, quod infantes, qui ante baptismum, Pagani uocari solent, semichristianos nūcupemus. Quibus obtrectationibus coactus sum talia dicere, ut nostros purgarem ab huiusmodi calūnijs, & ut doctores saecræ Ecclesiæ Romanæ, redderem nobis affabiliores. A quibus (nescio q; pie) mihi interdictū est sumgre corpus Dñicum, postq; in Lusitaniam ueni, quod spaciū est septem annorum, & (id quod non sine dolore ac lachrymis dicam) reputor inter fratres Christianos, tanquā Ethnicus, & Anathema. De quibus rebus ille, qui omnia uegetat

DE AETHIOPVM MORIB.

uegetat, videat, cuius iudicio omnia committo.
Ego autem non sum missus a potentissimo Do-
mino meo, Imperatore Aethiopum, ad Roma-
num Pontificē, & Serenissimum Ioannem Lu-
sitaniæ regem ad disputationum & contentio-
num rixas, sed ad amicitiam & societatem con-
tahendam, non autem ad traditiones humanas
uel augendas, vел diminuendas. Sed ut de erro-
ribus Arij principis hæreticorum diligēter ex-
quirerem, & intelligerem an Europæi Christia-
ni cū nostris, ad huius hominis opiniones devin-
cendas, conuenirent. Propter cuius errores Ni-
ceæ, sub Iulio Papa congregatū fuit concilium
trecentorum, octodecim Episcoporum. Ac des-
inde ut scirem, an id apud Europæos Christia-
nos seruaretur, quod Apostoli in suo Synodo-
rum libro præcipiunt, scilicet, ut singulis annis
bis in Ecclesia Christi concilium celebretur, in
quo de rebus fidei rationem habendam statue-
runt. Quorum primum voluerunt eogi ad
festum Pentecostes, secundum, decima die O-
ctobris. Deinde ut intelligerem, quomodo in
ter nos conueniret de erroribus Macedonij, cu-
ius causa, sub Damaso Papa congregatum fuit
Constantinópoli concilium centum quinqua-
ginta Episcoporum. Præterea de errori-
bus Nestorij, propter quem sub Celestino Papa
congrega

DAMIANI A GOES

congregatum fuit in Epheso concilium ducen-
torum Episcoporum. Postremo ut etiā scirem
de quarto ac magno concilio Chalcedoniensi,
in quo propter errores Eutychis, congregati fu-
erunt sexcenti, triginta duo Episcopi, quo tem-
pore Pontificatum obtinebat Romanum San-
ctus Leo, ex quo concilio uarijs disceptationi-
bus habitis, & nihil ad cōcordiam Ecclesiae con-
stituto, atq; re infecta, omnes discesserunt, unus
quisq; suam retinens opinionem. Quarum Sy-
nodorum libros, & aliarum, quæ postea celebra-
tæ fuere, potentissimus Dominus meus Aethio-
pum Imperator, penes se habet, & de hac ziza-
nia, quam aduersarius ueritatis Diabolus semi-
nauit inter Christianos, Dominus meus pluri-
mum dolet, una cum oībus suis subditis Chri-
sti fidelibus. Nostri certe ab exordio primitiæ
Ecclesiae Romanum Pontificem, ut primum
Episcopum agnouerunt, cui etiam hodierno
die, ut Christi uicario paremus. In cuius curia
frequentissime essemus, nisi obstarēt magna iti-
nerum interualla, ac multorum Mahumetha-
norum regna interiecta, quæ transitum impe-
diunt, ita ut suscepitis maximis periculis, nihil
tamen efficias. Quanq; prudentissimus, & inui-
ctissimus Rex Emanuel felicis memorie, qui
primus non sine cœlesti numine itinera Orienta-
lium

DE AETHIOPVM MORIB.

Ium Indianorum suis nauigatiōibus aperuit, magna spēm præbuit, id in posterum commodi us futurū. Is enim superato Oceano Rubrum mare suis classib⁹ edomuit, nihil deteritus magnitudine sumptuum, quo & Christi fidem au geret, & ad usum nostræ amicitiæ, quasi uiam patafaceret, & id quoniam iam factum est, & utracq⁹ gens alterius opibus uti potest, breui spe ramus fore, ut ab Lusitanis, una cum nostris, armis omnes Mahumetani, cæteric⁹ Ethnici, ex toto mari Erythræo, ac uniuersa Arabia, Persie ac India depellantur. Itidē & illud futurum confidimus, pace inter omnes Europæos Christianos composita, ut etiam ex Mediterraneis locis, Ponto, alijsq⁹ prouincijs, inimici Crucis pro fligantur, ut sit iuxta Christi uerbum, super faciem terræ una lex, & unum ouile, & unus pastor. Cuius rei oracula duo habemus, alterum ex prophetia S. Ficatoris, alterum ex sancto Syndoda eremita, nato in extremis Aegypti cautibus, quorum neutrum ab altero dissentit. Et ex quo Dominus meus potentissimus, legatos sere nissimi & prudentissimi Regis Emanuelis accepit, uidetur fides oraculorum, ad euenta propare. Certe iam inde noster princeps nihil magis cogitat, consiliisque & armis meditatur, q̄ ut Mahumetani de facie terræ deleantur. His de causa

DAMIANI A GOES

causis, alij sc̄p, quas coram serenissimo Rege Io-
anne Emanuelis filio exposui, istuc missus sum
a domino meo potentissimo, non ad friuolas, &
inanes disputationes. Atq; utinam instituta, at
que conatus Principis nostri, pro quibus lega-
tus sum, Deus optimus, maximus ad finē opti-
mum & ad suam gloriam perducat, AMEN.

His omnibus explicatis, obiter & brevissi-
me aliquid de statu nostri Patriarchæ, ac Impe-
ratoris exponam. Primum sciendum solenni ri-
tu Patriarcham nostrum ab Hierosolymitanis
Monachis nostris, qui ibi apud sepulchrū Do-
mini habitant, suffragijs creari, idq; hoc modo,
Vita defuncto Patriarcha, statim Imperator
noster Præciosus Ioannes nuntium aliquem ex-
peditum mittit Hierosolymam ad Monachos
ibidem agentes, ut dictum est, qui nuntio acces-
pto, ac muneribus, quæ Imperator Dominus
noster ad sanctum sepulchrū dono mittit, con-
tinuo alium Patriarcham suffragijs plurium e-
ligunt. Sed fas non est alium, q; Alexandrinum
eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato,
suffragia sua obsignant, eaque legato, qui ad id
uenit, in manibus tradūt. Is statim Cayrum con-
tendit. quo ubi uentum est, Patriarchæ Alexan-
drino, qui ibi semper sedes habet, creationem il-
lam legendam porrigit. Cognito autem, quem
ex

DE AETHIOPVM MORIB.

ex Alexandrinis delegerunt, uirum tantis hono-
ribus destinatum , cum legato in Aethiopiam
mittit, qui ex ueteri instituto Monachus ordi-
nis diui Antonij eremitæ debet esse , cum quo
in Aethiopiam confestim nūcius proficiscitur,
ubi cum magno gaudio & honore ab omnibus
excipitur. In quo negocio aliquando annus u-
nus & alter transigitur, interimq; Preciosus Io-
annes de prouentibus ipsius Patriarchæ pro li-
bitu dispensat. Præcipuum autem Patriarchæ
officiū est, sacros ordines dare, quos nemo, ipso
excepto, aut dare, aut auferre potest. Cæterum
nullum Episcopatum , aut Ecclesiæ beneficium
in ullos confert. id solum ad Preciosum Ioan-
nem spectat, qui omnia pro suo arbitrio dispen-
sat. Mortuocq; Patriarcha, cuius ditiones ac pro-
uentus amplissimi sunt, ex solido omnium illius
bonorum fit heres. Est præterea Patriarchæ mu-
nus, excommunicationibus aduersus contuma-
ces procedere, quarū tam arcta obseruatio est,
ut prævaricatori poena perpetuq; inedię usq; ad
mortem infligatur. Indulgentias nullas dat,
necq; concedit. Nec pro ullo delicto , quantum-
cunq; magno, cuiquam Sacra menta Ecclesiæ in-
terdicuntur , nisi tantum propter homicidia.
Ipsum nomen Patriarchatus , nostro idiomate
Abunna dicitur. Cæterum qui nūc hoc solium

M tenet

DAMIANI A GOES

tenet, proprio nomine, quod ex baptisme accepit, Marcus vocatur, vir centum annorum, aut ultra. Sciendum etiam apud nos Calendis Septembribus annum incipere, qui dies semper incidit in uigiliae Ioannis Baptiste, Reliqui dies festi, ut natalis Domini, Paschae, alijque deinceps eodem tempore apud nos celebrantur, quo in Ecclesia Romana. Id quoque dissimulanter praeteraudum non est, apud nos diuum Philippum Apostolum, Euangeliū & fidem Seruatoris Christi praedicasse. Quod si libeat sciscitari de agnomine nostri Imperatoris, is sibi persuasum habeat, illum perpetuo appellari Pr̄ciosum Ioannem, & non Presbyterum Ioānem, ut hic falso passim iactatur. Scribitur enim nostro sermone his characteribus ΙΗΣΟΥΣ ΙΩΑΝΝΟΣ, quod sonat Ioannes Belulus, hoc est, Ioannes Pr̄ciosus, sive Altus, & in Chaldaica lingua sic scribitur, Ιωάννης, quod est Ioannes Encoë, id si interpreteris, etiam Ioannis Pr̄ciosi, sive Altissimum habet, nec est nominandus, ut Matthæus falso indicauit, Imperator Abesynorum, sed Aethiopum. Matthæus enim, quoniam Armenius erat, non poterat res nostras perspicue scire, pr̄sertim eas, quæ ad fidem spectabant. Idcirco multa coram prudentissimo felicis memoriae Rege Emanuele exposuit, quæ minime apud

DE AETHIOPVM MORIB.

apud nos habentur. Id aut̄ fecit non quod mentiri uoluerit, quippe uir bonus erat, sed quod in rebus religionis nostrę non admodum erat edocitus. Regnorum autem & Imperij successio, non in filium maximum natu transmittitur, sed ad eum, in quem pater id conferre uult. Et is qui modo Imperium tenet, ordine nascendi tertius est, quod pia quadam reuerentia emeruit. cum enim filij a patre moribundo, in regijs solihs sedere iuberentur, cæteris id facientibus, solus id facere recusauit, absit, inquit, id mihi trubui, ut in cathedra domini mei ledeam. Qua pietate a patre circumspecta, ei regna ac Imperium tradidit. uocatur is autem Dauid. Cuius imperij ditiones tam Christianorum, q̄ Ethnicorum miræ amplitudinis sunt. In quibus multi Reges & reguli, comites, barones, ac proceres, multaq̄ nobilitas inest, ad eius mandata obtemperatissima. In cuius omnibus ditionibus, nulla præter peregrinam habetur moneta. Aurum vero & argentum pōdere datur, ac accipitur. Opida & ciuitates apud nos permultæ sunt, sed non tales, quales hic in Lusitania uidemus, id magna ex parte inde uenit, quod Pr̄ciosus Iohannes semper in castris & tentorijs uersetur. Quæ consuetudo ideo recepta est, ut Nobilitas continue & perpetuo, se in rebus militaribus ex

Mij erce-

DAMIANI A GOES

erceat. Nec illud prætereundum uidetur, nos ab omnibus lateribus circūdatos esse, ab hostibus nostræ fidei, cum quibus crebro conligimus, semper secundo Marte usi, quas uictorias numeris auxilio imputamus.

Ius autem scriptum apud nos in usu non habetur, nec litigantium querelæ libellis, sed ore peraguntur, id sit ne h[ab]es auaricia iudicium & patronorum in longum protrahantur.

Id quoq[ue] admonitione dignum uidetur, Mattheum non fuisse ab Imperatore nostro Davide missum, ad inuictissimum, potētissimumq[ue] Regem Emanuelē, felicis memoriae, sed ab Regina Helena uxore Imperatoris, cognomen eo Manus Mariæ, qui huius Dauidis, de quo loquimur, auus fuit, quæ tunc temporis ob tenetiam Dauidis ætatē, regnorum gubernacula administrabat, mulier haud dubie prudentissima & sanctissima. Eadem ista Helena duos composuit libros sermone Chaldaico, ut erat doctrissima. Quoru[m] unus dicitur Enzera Chebaa, id est, Laudate Deum in organis, in quo de trinitate doctissime disputat, & de matris Christi Mariæ virginitate. Alter vocatur Chedale Chay, hoc est, Radius solis, in quo acutissime de legi Dei disceptationes habet. Oia hec decide, religione, ac patriæ nostræ statu, ego Zaga Zabo,
quod

DE AETHIOPVM MORIB.

quod gratia patris interpretatur, Episcopus, & sacerdos, ac Bugana Raz, nempe miles, ac Pro rex prouinciae, quæ Bugana dicitur, nec tibi in Christo filio lo meo charissimo Daimiano petenti, nec ulli homini talia flagitanti denegare possum, aut negare licuit duabus de causis. quarum prior est, quod in mandatis habeo a potentissimo domino meo Precioso Ioanne Aethiopum Imperatorem, omnibus me interrogantibus de fide, religione, ac prouincia nostra, ne quid clam haberem, sed ex fide ueritatē rerum, scriptis & verbis exponere. Secunda quod operę precium existimarem, mores, ritus, instituta nostra, & locorum situs in publicam notitiam uenire.

Quas res nemini ad hunc usq; diem scripsi, nec uerbis exposui, non quod ad id laboribus meis parcere uellem, sed quod nullus Christianorum hominum, postquam in Lusitaniam ueni, a me talia cognoscere appetiuit. De qua te non potui, nec possum satis mirari. Te uero quem rerum nostrarum cupientissimum multis argumentis iudico, per Christi plagas, ac crucē oro, ut hanc nostrā fidei, ac religionis confessionem, in lingua Latinam conuertas, ut per te liceat omnibus pijs Europaeis Christianis, ritus, ac integratatem morum nostrorum intelligere.

Porro si tibi inter tuas peregrinationes Roma

DAMIANI A GOES

mam petere contingat, tunc nomine meo Pontificem, ac uenerandos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq; bonos Christi cultores, per Iesum Christum, in osculo pacis quæ so salutes, petasq; ab ipso Pontifice, ut ad me remittat Franciscum Aluarez, literis illis suis instructum, quibus Domino meo potenterissimo Aethiopum Imperatori respōdeat, quo tandem in patriam redeam, meosq; lares inuisi-
sam, nimium enim diu hic detentus fui, ut ante obitum meum, qui ex nimio senio, proforis-
bus est, mandata perferam reliquias deinde ui-
tæ, transacta hac legatione Deo consecrem, di-
uinisq; rebus totus uacem. Cæterum te oro, si
aliqua in nostris scriptis non fuerint satis com-
posita aut ordinata, ut ipse tu id ad phrasim la-
tinā coaptes, sed ita, ut nihil de sensu immutes.
Postremo te obsecro, ut inter uertendum exqui-
ras diligenter uetus & nouum testamentum, ut
intelligas ex quibus locis meas autoritates exer-
psi, quo certius uertas. Quod si omnia non fue-
rint tam feliciter tractata, q; forsitan aliquis cu-
riosus, aut scrupulosus exigat, id cōdonandum
erit inopiæ, & penuriæ librorum Chaldeorum,
quos penes me non habeo, quos enim habui, ini-
quitas fortunæ in itinere perdidit. Quāobrem
destitutus omnium librorum auxilio, nihil, nisi
quod

DE AETHIOPVM MORIB.

quod recens memoria adferebat, dictare potui,
sed ea omnia certissima fide. Vale filiole in Chri-
sto dilectissime. Vlyssippone, uigesimo quarto
Aprilis, Anno salutis nostræ millesimo, quin-
gentesimo, trigesimoquarto.

Postquam hæc omnia scripsi, uenit mihi in
mentem locus ille, ubi dico Christum descen-
disse ad inferos, pro anima Adæ, atç pro ani-
ma ipsiusmet Christi, quam ipse Christus acce-
perat ex sancta Maria uirgine matre sua. De
qua re habemus testimonium uerissimum in li-
bris quos Regiminis uocamus, quos Christus
Iesus Seruator noster Apostolis tradidit, in qui-
bus habentur hæc uerba, quæ mysteria doctri-
narum appellantur. Quorum autoritate, & te-
stimonio, omnes sine ulla hæsitatione, in hac sen-
tentia uersamur. Ego tamen postq in Lusita-
niam ueni, deprehendi Theologos diuersa tra-
dere, contra nostrum omnium opinionem, que
tam certa est, ut nō hoc solū, sed etiam omnium
hominum animas ab Adam profluxisse affera-
mus, & ut caro nostra est ex seminio carnis Adæ,
ita quoç anima nostra, quasi lucerna in anima
Adæ accensa, originem suam, & naturam
ex Adam trahit. Ex quo apparet nos
omnes semen esse Adæ ex
carne & anima.

Hicce characteribus, manu propria ipsius
Oratoris omnia supra scripta,
lublignata erant.

¶
မြန်မားကရိုး၊ လူနဲ့ အသုတေသနး၊ ရွှေ၊ မင်္ဂလာ
စုလေး၊ မြန်မား၊ မြန်မား၊ မြန်မား၊ မြန်မား
နှင့်

DE PLORA

TIO LAPPIANAE GEN.

tis , Damiano a Goes autore.

Non indignum puto Pontifex maxime , in
calce huius nostri opusculi , quoniam ad si-
dem & unionem Ecclesiæ hæc quoq; spectant .
Ioannis Magni Gothi , Archiepiscopi Vpsalig
in regno Suetiæ (ut ab eo ad miserandam Lap-
pianam gentem ueniamus) aliquam mētionem
facere . Is autem Ioannes Magnus Gothus , uir
est optimis parentibus , ac diuitibus natus , sacra
rum literarum non uulgariter peritus , probita
te uitæ spectatissimus , Ecclesiæ Romanæ ita ad-
dictus , ut eius causa amplissimum Vpsaliæ ar-
chiepiscopatum cum prouentibus plus minus
quadraginta millium aureorum in singulos an-
nos , una cum fundo paterno amiserit . cuius di-
gnitatis , ac bonorum iactura , ab fluctibus for-
tunæ agitatus , in Prussia , Gedani diu tenuiter
uictans delituit . Vbi (interim quod mihi re-
gis mei negotia in illis Germaniæ partibus tra-
ctāda erant) cum eo , ac cum Olao Magno Go-
tho eius fratre , indissolubilem contraxi ami-
citiam . Hos inopinate postea V incentiæ reperi-
multo tenuius , q; antea degentes , quem locum

N

ex

DAMIANI A GOES

ex illis ultimis terrarum oris, propter promulgatum Concilium, ex quo non nihil spei sibi, ac suis calamitatibus conceperant, adeundum est se proposuerant. Concilio tandem intermisso, non boni viri iam a suis facultatibus plane destituti, quibus dum ampliores essent, sepius in aquilonaribus illis partibus, pro Rom. Ecclesia pugnauerant, & adhuc (si res successisset) pugnaturi essent, Venetas emigrat, uel aliena liberalitate, uel suis laboribus, praesertim docendo, ac instituendo, uitum questuri, nullis enim alijs subsidij niti poterant, nisi quod in numinis auxilio totam spem reposuerant. quo cum peruenissent, solu ab Hieronymo Quirino Patriarcha Veneto, in ipso patriarchatu humanissime accepti hospitantur, ubi ad hunc usque diem datum Conciliu expectantes haerent. Sub huius Vpsaliensi Archiepiscopatu, pars illius uastae Lappianae prouinciae habetur. Cuius indigenae Christi Seruatoris nostri leges minime norunt, id quidem ut a multis, tum bonis, tu fide dignis uiris, dum in illis prouincijs uersarer, ob turpis simum praelatorum, & nobilium questum, ac avariciam accidere intellexi. Nam si Christiani essent, liberi essent ab illis uectigalibus & tributis, quibus ipsis, ut Ethnici multatur, nobilitas contra cum Episcopis ditescit. Verat igitur eos
Chri

DE LAPPIIS.

Christianos fieri, ne subditi suaui iugo Christi
aliquid lucelli eorum tyrānidi, & rapacitati sub-
ducāt, & aliquid ex uectigalibus de crescat, qui
bus gens illa miseranda, ab ipsis Monarchis,
turpiter & insatiabiliter premīt & torquetur.
qui impatientissime ferunt, si illi Christiani fa-
cti, non longe plus uectigaliū ipsis penderent, q̄
cæteri Christiani suis principibus pendunt, ac
proinde deformem istum & sacrilegum quæ-
stum fidei, ac religioni Christianę, contempta
tot animarum salute, anteponunt, uere haben-
tes claves, quibus nec ipsis intrāt, nec alios intra-
re sinunt. Avariciā sane inexplebilem, & impie-
tatem intolerabilē, ac a pījs pectoribus, armis,
& scriptis, denicę totis viribus expugnandam,
quam proculdubio sōpitam hoc tempore habu-
issemus, si hic bonus uir in pristinum suum ho-
norem restitutus esset, nihil enim magis cupit,
nihil acrius meditatur, q̄ quo pacto hæc gēs ad
Christi fidē reduci possit, nihil flebilius deplo-
rat, q̄ quod se autore (id quod sāpe animo uol-
verat) hę miserandę pecudes adhuc propter im-
piam religionē, per Christianam fidem Christi
oues factę non sūnt, nec tam queritur se ab Ar-
chiepiscopatu, uel bonis auitis depulsum, q̄ φ
careat neruis, auxilio, & facultatibus, quibus
hanc Lappianam plagam, & mēdicari, & sub-

N ij Chri-

DAMIANI A GOES

Christi iugum mittere, & Rom. Ecclesiæ coniungere possit. Id quidem postea mihi saepius per literas confirmauit, quibus nondum ipse placatus, acrem huius negotij, in fine illius primi Preciosi Ioannis legationis (quam ipsi Ioanni Magno Go tho consecraui) mentionem feci, ne tum quidē mihi ipsi in hoc negotio satisfecerit, sed cum Erasmo Roterodamo meis literis egi, ut causam istius rei scriptis cōmendaret. Postmodū in illius cōtubernio agens, quod mihi cū eo Friburgi Brisgoicæ, ad quinque mēses fuit, presens cum presente uerba super eodem negotio feci. Quibus rebus impulsus, cōstituerat de hac re iustum uolumen emittere, mortis tamen interuētu, operis materia, quam iam congesserat, dissoluta est. Nihilominus in suo Ecclesiaste tā nefandam impietatē non obticuit, quę sane talis est, ut oēs Christianos, quibus potētia & doctrina a deo cōcessę sunt, posset quodāmodo reos facere, & ab eis in ultimo iudicio, corā Christo iusto iudice vindictam petere. Videant iam Christianorū Monarchæ, quam rationē, quem calculum tantarū perditarū animarum, in nouissimo die ad Christi tribunal, ubi nec gratię, nec indulgentiæ locus est, nec blandimenta, nec assentationes recipiuntur, reddituri sint. Tu tamen Pontifex maxime is iam solus es,

qui

DE LAPPIIS.

qui huic morbo mederi potes. Tu iam is es, qui
huic Gentis uias domini demonstrare potes, &
ut recte in ihs ambulent, dirigere. Tu solus eas
de inferno inferiore redimere ualebis. per te par-
uulis Christū accedere licebit, & in uirtute dex-
teræ tuę a dæmonum catenis ac insidijs libera-
ri, & copiosa Christi in hoc, & in alio seculo re-
demptione frui. Vide quā palmam obtinebis si
messis illa multa, te operario in horreum Chri-
sti comportetur. Nec dubium est, quin comparta-
bis, modo incipias. Sunt hodierno die cum Go-
stauuo Suetię, & Gothiæ rege aliquot Magna-
tes, ab ecclesia Romana recisi. Sunt in ipsis quoq; regnis, qui omnino ex diametro dissentunt, pos-
sis ad utroq; literas pro tua dignitate & pasto-
rali officio dare. eosq; per Christi plagas (huc
enim omnes, quam ab ipsa Romana Ecclesia
dissentient, filium Dei, & Seruatorem nostrum
fatentur) obtestari, ut hanc orientalem & occi-
dentalē Lappiam, cum Fimmarchia, Scricfi-
nia, & Biarmia amplissimis prouincijs, quaſū
maior pars Christum non nouit, ad eius suavis-
simum iugū uenire permittat, ab eisq; tantum
aupentur & extorqueant, quantū alij Christi
ani principes a suis subditis, uel iure postulare,
uel precarijs exactiobus obtinere confue-
runt. Ad id non tantum literæ, sed uiri quoq;
docti

DAMIANA GOES

docti & sanctitate uitæ probati mittendi vide
tur, ut hæ prouinciæ, Romanæ Ecclesiæ per
Christi fidem coniungantur. Quibus per te una
cum Aethiopica gente, ad ueram Christi legem
adductis, & si populi irascantur, Dominus se-
dēs super Cherubim regnet, & terra moueatur,
ipsaq; exultet, & insulæ multæ lœtentur. Vale
Pontifex maxime in Christo Iesu, Amen.
Ex Louanio Cal. Septem. Anno 1540.

LAPPIAE Descriptio.

Lappia mari Botnico interiecto in orienta-
lem & occidentalem diuiditur, cuius equo
ris extremum, Tornia est. Ab oriente lacum al-
bum tangit, ad septentrionē uarias prouincias
amplectens, ad incognitum se extendit. Ad oc-
cidentem Islandiam respiciens, parti Norue-
giae est contigua. Ad meridiem, ab altera Nor-
uegiae parte, Suetia, Finländia, ac ab utraq; Bot-
nia cingitur. Lappia enim orientalis Ecclesiam
Divi Andreæ in gradu cleuationis poli octoge-
simi quarto habet, quæ magnifico & sumptuo-
so templo, ac doctis & sacrarum literarum eru-
ditis viris ornatur. Ecclesia hæc Archiepiscopo
Vpsaliensi obedit & obtemperat, sub cuius dio-
cesi sita est. Nihilominus eius circumuicini, siue
incuria, siue auaricia Prælatorum & Magnatū
ut

D E · L A P P I I S.

(ut dictum est) Christum non agnoscunt. Lap
pia Latino sermone interpretatur inepta siue
secors prouincia. nomen puto inditum inde, q̄
ex nimio & intenso frigore, solum tanq̄ stupi-
dum, minime aptum sit, nec ad recipiendum,
nec ad procreandum fruges. Indigenæ istius
prouinciæ, neruosi & mediocris staturæ sunt,
mire dexteri, & agiles in arcubus & sagittis u-
tendis. quam artem iaculandi ab incunabulis
sic exercent, ut puero a scopo erranti cibus non
detur tantisper, donec in eum recte sagittam di-
rigat. Pellibus non ineleganter contextis loco
uestium præcipue utuntur, quibus se a frigoris
iniuria tutantur. Quod ita etiam pati affueve-
runt, ut dum opus sit, id sine aliquo pelliū mu-
nimine expugnare ualeant. In tabernaculis ha-
bitant, nec domus eis alicui usui sunt, quippe
sæpius hinc inde migrant. Aliam uiuen-
di rationem q̄ uenationis, auctripij & piscatio-
nis non habent, in quibus plurimū præstant.
Est enim prouincia illa istarum rerum feraci-
sima. Agrum non colunt, nauiculis utuntur si-
ne aliquo ferreo clavo compactis, quibus pisci-
bus aere exciccatis, ac pellibus onustis ad uici-
nos nauigant, ut permutatione tantum anno-
nam & pecuniam, nullo sermone adhibito, sed
foliis nutibus agentes, acquirant. Id solum ac-
cidit

DAMIANI A GOES DE LAP.

cidit ob linguæ barbariem & asperitatem, alio
quin in suis permutationibus sagaces & exper-
tissimi sunt. Gens bellicosa & animosa est. Lo-
co equorum utuntur animalibus, quæ Raingi
suo sermone uocant, magnitudinē & colorem
asini, ungulas bifidas, formam atq; cornua cer-
uorum habentibus, sed cornua lanugine qua-
dam cooperiuntur, & humiliora & ramis ra-
riora cerui (ut ipsi uidimus) sunt. hæc tātæ sunt
uelocitatis, ut spatio 12. horarum uehiculum ad
30. miliaria Germanica proripiante, In quorum
progressu, lento uel celeri, ex tibiarum articulo
rum agitatione, ad instar nucum collisionis cre-
pitus auditur. Religio istius gentis est, & ignē
& statuas lapideas pro dijs habere. Ex quauis
re animata eis mane occurrente, totius diei even-
tum iudicant & augurantur. Matrimonium
obseruant, & mires sunt zelotypi. Incantamen-
tis sic pollent, ut inter multa alia dictu mira,
quæ pretermitto, naues in medio cursu retine-
ant, sic ut nulla uiuentorum amoueri possint.
Quod malum solo uirginum excremento foris
nauium ac transtris illitis, curatur, a quo spiri-
tus illi, ut ab incolis accepi, natura abhorcent.
Lege Saxonem Grāmaticum, & mira de sagis,
& incantamentis Aquilonaribus uidebis.

F I N I S :

D I E N S I S
N O B I L I S S I M A B C A R M A
niæ seu Cambaiæ urbis oppugnatio,
Damiano a Goes autore.

D A M I A N V S A G O E S
Eques Lusitanus, Petro Bembo sacros
sanctæ Ecclesiæ Romanæ Car
dinali, S. P. D.

Quid tibi pro tua assidua erga medi-
gnissime Cardinalis humanitate gratia
rum referam reperire nequeo, nec presens tem-
pus facultatem adfert, sed pensabimus aliquan-
do pro nostra facultate. Nunc uero mitto id,
quod gratum scio tibi fore, historiæq; nobilissi-
mæ Reipub. Venetæ, quam cum maxima in fu-
turum gloria, in manibus habes, forsan etiam
non incommodum. Quantum delecteris ge-
stis nostrorum Lusitanorum nō me fugit, præ-
sertim illis, quæ pro bono sacro sancte fidei no-
stræ geruntur. Id sane quod facis, ut bonus fi-
dusq; Patricius Venetus facis, non ignorans
antiqua nostratium cum uestris foedera, ami-
citas, & beneficia hinc inde uicissim collata.

O Vtis

DAMIANI A GOES

Vtinam ceteri Christiani homines in tuam sententiam irent, & ex animo magis rebus nostris, quam faciunt, fauerent ac opitularentur. quin ut omittamus opitulationem, saltem non officeret. ac tantum quod Rex nostris cupiunt, ociosos se spectatores præberent, interim dum nostri cum Mauris Turcicis strenue depugnant. Sed absint querimoniæ & infastæ omnibus, & præsenti negotio incongrue, ac quod in manibus est tractemus

DVM agerem Patauij, ubi me tua humanitate mire me totum deuinxi, inter cetera, que ex Lusitania ad me perferebantur, ac ceipi de bello Cambaico nonnulla, quæ (ut peti sti) ex Lusitanica lingua in Italicum sermonem conuerti. Postmodum mors illius Regis Cambaiae de quo tam multa ac miranda retuleram, insecura est, a nostris enim ob proditionem, quam in Nunium a Cunha Proregem nostrum meditabatur, ex quadam triremi deiectus ante muros Dij, fortissimæ ipsius Cambaiae regni ciuitatis, a quodam nauta, hasta inter natans dum perfoissus est. Ex cuius cede omnino ipsa ciuitas iam imperio nostro subiacet, id quod antea facere reluctabatur, quam in eius faucibus littoris arcem munitissimam haberemus. Quare perfecta nonnulla deinde intercedine temporis, classis

DIE NSIS OPP VGN A:

classis Turcica ad eandem ciuitatem appulit,
ut nostros inde expelleret. Quam classem Im-
perator Turcarum innumerabilibus sumptu-
bus in sinu Arabico instrui iusserat. idq; maxi-
me istius Regis quem dixi, adhortau & opera,
ut postmodū compertum fuit, & ex sequētibus
latius intelliges. Iure autem belli ipse Turcarū
Imperator Cayrum, cæterasq; Sultani prouin-
cias (ut nosti) occupauit, atq; una cum regno
curam, qua perpetuo Sultanus angebatur, sus-
cepit, nempe ut Lusitanos omni contentione ex
India profligaret. Ad id materiam ex longin-
quis plagis colligi iussit, illamq; sumptu inestimabili
ad mare rubrū uehendam curauit. Atq;
in Suezij portu eiusdem sinus, naues ædificare
instruereq; apparat, cui negotio Architectus
quidam Genuen. præfuit, huius artis (ut fertur)
peritissimus. Habebat etiam multos alios opa-
fices Christianos, quos hinc inde muneribus pel-
lexerat. Classi uero præfecit quendam Bassam
Præpositam Cayri, nomine Solimanum, pe-
ritissimum exercitus ducem. Quæ autem clas-
sis sexaginta tribus triremibus constabat, in sin-
gulisq; triremibus uiginti sex transtra, inter re-
liquas naues aderant sex Rostratæ, quas Galle-
ones uocant, aderant quoq; sex biremes, holca-
des duæ, actuariae uiginti, celoces quampluri-

O n̄ m̄

DAMIANI A GOES

mæ. Classis preterea instructa uiginti millibus militum fuit, præter nautas & bombardarios, quorum quatuor millia Genicerorū, quos Rhomæos etiam appellamus, erat, Insuper armabatur classis maximo tormentorum numero, inter quæ erant quadraginta, quos basiliscos appellant, qui globum ferreum emittunt nonaginta librarum. Soluit itaque hæc ingens, & ad omnē naumachiam ornata classis Suezio, uersus Indiam sub finē Iunij anni millesimi quin gentesimi trigesimi octauī, & ui interceptis aliquot mercatorū nauibus, quibus cōmeatu one-ratis, atque ex eis nonnullis nautis ad remigium edocit, (tyrannide triremibus damnatis) quinto Iulij Adenam contendit, quæ ciuitas adiacet frœto sinus Arabici, & decimo quinto eiusdem mensis, ad quendam locum aquationi idoneum appulit, quadraginta millibus passuum distantem ab Adena, Ibidem ancoris fixis, Solimanus Baxa classis prefectus, literas Imperatoris Turcarum de pace ad Regē Aden. mittit, atque ex aureo panno talarem uestem, legatisq; in mandatis dedit, Regi ut diceret ipsum Turcarum Imperatorem classem illam ei dono mittere, quam suo imperio consiliisq; gubernari colebat, secq; ea de causa Indiam petiturū, ut Lusitanos inde excluderet, homines Maomethang fidei

DIENSIS OPPVGNA.

fidei infensissimos, ad quam expeditionem se nihil aliud ab illo postulare, q̄d carnes & ligna. Quippe cæteris rebus atq̄ commeatibus classis abunde instructa erat. Hæc omnia Rex Adenensis (quancq̄ Regis tune nostri Lusitanie tributarius esset, cui singulis annis, foedere percusso ab Hectore a Sylueira, decem millia ducatorum persoluebat) gratissimo animo accepit, legatisq̄ respondit, eius aduentum sibi peroptatum esse, cui libere omnia, tū ad classem, tum ad militē necessaria pollicitabatur. His spacio septem dierum transactis, ancoris iussu Solimani sublatis, ad portum Adenensem classis depulsa est, inibi sub ancora moram faciens, applaudentibus omnibus, tanquam uerus amicus accipitur. Rex ad eum Magnates aliquot mittit, ut aduentui eius gratularentur. Qui ex mandato, Solimano significauere, gratissimum fore Regi, si in terram descenderet, uti ciuitatem sibi obtemperatissimam oculis cerneret, ubi pro dignitate atque officio eum in sua Regia tractare posset. Ad hæc Solimanus. Dicite inquit Regi, me non despicer magnifica eius oblata. Veruntamen nausea sentinæ, & nauigationis molestia, ita adhuc me affligi, ut ante bidū nihil de me audeam polliceri. at ubi conuoluero, recta ad eius amplexum proficiscar.

Ita

DAMIANI A GOES

Ita dimissis legatis, mox a tergo sequuntur trecenti milites, pretextu uisendę ciuitatis. Postea Solimanus, ut ad finem telarę, quam mente orsus erat, perueniret, familiarem quendam suum ad Regem mittit, indicans se scire militum in solentiam. Et quoniam iij trecenti qui per ciuitatem uagabantur, nisi receptui canere iuberet & uela daret, quod tum illi nefas erat, crederet se ad naues recipere non posse. Submissurum illico centum ueteranos, qui sua authoritate, reliquorum militum insolentiam cohiberet. His Rex, nihil mali suspicans, corporis sui atq; regiae custodiam cōmisit. Sequenti uero die duo milia militum e classe dissimulata proditione ciuitatem petunt. Qui ubi ciuitatē perspectam atq; eius fortiora loca explorata haberent, ueteranis se adiunxere, quæ res illico animum Regis perculit. Postero uero die ante diluculum legatus uenit maioribus copijs instructus, qui Regem pretextu amicitiae hortaretur, ut cum aliquibus suorum magnatum, Solimanum ad huc ægrotum uisat, atq; salutet. Id tametsi periculum, & insidias ante oculos ponere uidebatur, coactus est facere. Itacq; ad Solimanum dicitur, cæteris militum copijs in ciuitate iam pro præsidio remanentibus. Is igitur prætoria nave ad Solimanum perductus, regia plane liberate

DIENSIS OPP V GNA.

cate in dicendo sic usus est. Dic quæso Soli-
mane, cur me tantum principem, Imperatori
tuo, tibiç deditissimū, ad te fraude, techniscç
tanq̄ maleficum, iussisti captiuum adduci? Cui
Solimanus, superbia præsentis potētiæ elatus,
Non te pudet, me Proregem potētissimi Tur-
carum Imperatoris ante ciuitatem tuam statio-
nem facientem, per totum, triduum non inuise-
re? Ad hæc Rex. Si Turcarum Imperator hic
adesset, nec ego defuissem officio meo, nec ipse
(ita ut est clemens) in me uteretur fraude, calli-
ditate atç virulentia, qua tu modo uteris. Ha-
bes me modo in tua potestate, quod sane non
euenisset, si phaleratis uerbis tuis me, regnūç
meum non commissem. Est enim Adena ciui-
tas, que hostem armatum aperto Marte non
metuit, at a fraude calumniaue quis præcauere
posset. Satia te homo priuate, fortunę casu ad
honorem prouecte, sanguine regio ab Atauis
regibus edito. Peribit modo (uti video) infide-
lis tyranni iussu, regium fidumç corpus, atta-
men uirtus Adenensium, stirpsç eorum nobi-
lissimorum Regum, nunq̄ te uiuente peribit:
Hac eum libertate usum, extēplo Solimanus
in antenna nauis suspendio tradi iussit, adiū-
xitç illi eodem supilio quatuor Regni proce-
res, qui una cū Rege ad colloquia uocati fuere.

Id

DAMIANI A GOES

Id se in mandatis a Turca habere, eo quod Adenenses non solum foedera iunxissent cum Lusitanis, sed etiam tributum soluerent, quam gentem & eorum socios prorsus ex India exturbare uolebat. Post Regis necem ciuitas illa opulenta & pulchra, praedae & cedi, nullo resistente, patuit. Sumpto deinde commeatu abna uigaturus populum alloquitur, debere ipsos lætissimos esse, iudicatos scilicet a tyrannide Lusitanorum, ac proinde admonere se, ut fidē & obsequium Imperatori Turcarum seruarent, Domino proprio ac clementi, ipsorumque fidei uero cultori. In digressu uero duo millia armatorum pro praesidio reliquit. Deinde altum petens, cursum in Indiam instituit, in qua navigatione octo uel decem biremes, atque actuarias naues, propter hyems tempestates (est enim in illis prouincij hyems eo tempore, quo apud nos aestas) amiserunt. quarum pars perire, pars fluctibus ad littus Indicum, Mallabarem uersus est expulsa, quæ ab aliquibus nostris nauibus depræhensa, partim interceptæ, partim euersæ fuerunt. Hęc autem quæ haec tenus narrauimus nostri a quibusdam Turcis, quos in ipsis nauibus uiuos ceperunt, intellexere. Est uero Malla bar prouincia, in qua sita sunt Regna Calecutij, Cananorij, & Cochini, & alia, cuius litoris regno.

DIENSIS OPPVGNA.

Regnorumq; descriptionem in historia rerum
Indicarum iam ab origine nostratum in ea lo-
ca aduentus luculenter, si Deo ita uisum fuerit,
sumus tradituri. Ita igitur nauigando, Soli-
manus Dium pridie Nonas Septemb. cū clas-
se sua appulit, & cum ad iactū bombardę mu-
ris se proximū cōstituisset, exonerari circiter ui-
ginti magna tormenta iubet. Nostri par pari re-
ferentes, duas triremes Turcarū evertunt. Qua
repentina clade consternati, subito illinc pedem
retulere, & ad quendam fluuium sedecim milia
passuum distantem a Dio, cui nomen Marafa
baris portus est, se recepere. Inibiq; expectauere
classem atq; militē prouincię Cambaiae, quam
occisus Rex ad nostros ex Dio profligādos, an-
te suam cædem in aduentū Turcarū curauerat
parari. Mercatores atq; oppidanī subito se fu-
gæ mandarunt, ita ut intra biduū ciuitas tota
Diū facta sit deserta. Lusitani, qui iam soli per
ciuitatē uagabantur, in arcē confugerunt. Dux
arcis noīe Antonius a Sylueira, uir summo loco
natus, magni aī, ingenijq; (uirtute uero & pru-
dētia fratre suo Ludouico a Sylueira Comite a
Sortelha nō inferior) oīa ad defensionē obsidio-
nis necessaria disponit. Habebat milites Lusita-
nos septingentos, inter quos ducenti uiri nobis-
les erāt. Nihil deerat defensiōi, prēter bombar-
dicū puluerē, cuius tantū sexaginta millia pōdo-

P habe

DAMIANI A GOES

habebat, & tria uasa pulueris manualium (ut uocant) bombardarum. Deerant etiam protinus hostium copijs milites, nisi nostri suorum paucitatem uirtute pensauissent. Interea loci, duo duces regni Cambaiae, Solimano associati sunt, singuli cum quadraginta nauibus, remige & milite ad dimicandum optime instructis. Ecce adhuc alias dux terrestrium copiarum comitatus uiginti millibus militum, nomine Coie Coffarus, natus matre Turca, & patre Christiano orto in Xio insula, cuius opificium fuerat, rimas nauium obturare. Fuerat autem hic Coie Regi Cambaiae, dum uiueret, dilectissimus. His copijs terrestribus naualibusque cum Turcis coniunctis, illico Solimanus admoueri classem, & ante muros Dij, ad ipsum bombardae figi ancoram iubet, atque subito ex nauibus quinque millia militum præmittit, & centum quinquaginta tormenta bellica, inter quae uiginati basilisci erant, & quinque alia lapideum globum, septem palmorum crassitudine ejcentia. Interim dum tormenta uehuntur, unum in litoris arena submersum est, nec amplius apparuit. Cum primum in terram descendissent milites, illico se exercitui Coie Coffari adiunxere. Sequenti die nullo adhuc timore territi, sed fiducia multitudinis elati, nullo ordine seruato, prope

DIENSIS OPPVGNA.

prope muros arcis aliquot domos, in quibus ad
huc habebant nostri magnam frumentorum co-
piam ueniunt depredatum. Dux noster Anto-
nius a Sylveira cum eos perspexisset in loco cæ-
di commodo, tormenta aliquot directa in eam
partem, qua grassabatur, exonerari iussit, quo
stratagema desiderati sunt ultra centū & quin
quaginta, cæteri subito se ex eo loco receperūt.
Extemplo Turcæ cum Coie militibus terreū
aggerem prouoluunt, quæ moles instar mōtis
paulatim magis ac magis fossæ arcis admoue-
batur, & sine noxa ulla hostes in proximo siste-
bat, atq; confessim latissimum vallum erexe-
runt. quod tignis bombicisq; sarcinis, quas in
ciuitate inuenierunt, suffulcum, ab ictibus no-
strorum tormentorum asseruabatur. Super hoc
erectæ sunt turres octo, quibus arx a terrestri
parte cingebatur. Has muniuerunt omni gene-
re tormentorum. Obsidione igitur instructa,
uiribus, machinisq; omnibus adhibitis, arcem
tum a stationibus, tum a naualibus tentare coe-
perunt hostes, nostri contra defendere. Habe-
bant nostri citra arcem in ipsa ciuitate turres
duas, quarum una in scopolis litoris iuxta ar-
cem, altera uero in noua ciuitate que Rhomēū
appellatur. Nomen inditum est Rhomæis, qua-
si Rhomanis, uocantur enim in tota India Rho-

P ij mæi

DAMIANI A GOES

mæi ḥ, quos nos coī noīe Geniceros uocamus.
His enim Rhomēis siue Geniceris reges Camba
iae hanc urbem cōstruxere, eamq; a ueteri urbe
muro discluserunt, quo mercatores, aduenæq;
ibi uersarentur, nec oppidani militū insolentij
inquietarentur. Prima uero turris seruabatur
quinquaginta militibus. Secūda aut̄ sexaginta:
Erat utraq; munita oī re, & ad uictum & de-
fensionem necessaria. Ab illa nouę urbis turrī,
cui sexaginta milites præsidio erant, hostes la-
cessiti, ut illa molestia liberarentur, ante eā ual-
lum extruunt, ac duas turres, quod ut cōmodi
us facerent, ædes magnificas quasdā, quæ turri
adiacebant, iictibus tormentorū deñciunt, atq;
subito turrem, machinis, tormentis, amphoris,
& globis igneis petūt. quo certamine turrī ab
uno latere sinditur, atq; ruinā minari cœpit.
Nostrorum eo die desiderati sunt quincq;, ex ho-
stibus plures. Sequēti uero die, certamine redin-
tegrato, ui tormentorum iictuum turrī in duas
partes ita fissa est, ut inoffense tela per medianā
turrem euaderēt. Qua re ab hostibus perspecta
subito præmittunt duo millia selectorū militū,
ut turrem expugnarēt, qui a nostris non sine ma-
gna eorum clade & dedecore repulsi sunt. Dum
hæc aguntur, tormentis arcis euersæ sunt duæ
hostium triremes. Ex quibus solum tres Turcę
natan

DIENSIS OPPVGNA.

natando euaserunt. Tres etiā aliae triremes ita globis perforatae fuere, ut nisi vestigio aliae eis succurrissent, funditus perirent. Iam cum uidenter hostes spē defendendę turris in nostrorum animis magis atq; magis uigere, ne ab ipsorum globis maiore cladem acciperet, ad eos legatos de deditione misserunt, eisq; uitam & bona salua pollicentur. Qua legatione audita, triginta eorum (labes Lusitanoru sanguinis) se dedidere, qui uiolata a Turcis fide, in triremes uincti ad eternam seruitutē dati sunt. Ceteri uero ut boni sacrosanctę fidei nostre propugnatores, repudiata conditione, alijsq; quod se infideliter defeseruerint, reprehēsis, dimicādo & (ut viros Lusitanos decebat) multos Turcas interficiēdo, oēs ad unū occubuere. Dum hæc agerentur, Antonius a Sylueira, celocē ad Proregem Indię Nonium a Cunha, expedit, qui tunc temporis Gog agebat (distat enim Goa a Dio ultra octingenta millia pass.) In quo statu res essent per literas ostendit, puluerem tormentorum maxime desficere affirmat. Quæ celox a naualibus arcis foluta, classem hostium penetrans, a quibusdam celocibus insectationē patitur. Quarum una ceteris agilior, & sedecim millibus passuum ante cedens nostram contendebat comprehendere. Nostri uero, eam tanta distantia ab reliquis semotam

DAMIANI A GOES

motam uidentes, reflexo cursu recta obuiam tendunt, omnesq; quotquot erant, dimicando interficiunt, excepto uno ex Apūlia, qui a fide nostra descierat, quem secum captiuum duxerunt, ac celocem perforatam euertunt. Cum Goam appulissent, statim se Prorex ad subsidiū componit, celocem remittit, indicans se (deo ad iutore) breui forci militum & nauium manu adfuturum, & ut omnem casum (ita ut prudēs erat) infortuniumq; præueniret, quippe totam classem subito parare nequibat, sedecim liburniq; subito, ex arido in mare ducuntur, quibus singulis, nobilem & selectum ducem præfecit, & præter remiges & tormentarios, quindecim triarios milites, unicuiq; duci tradidit, quos omnes multis mūneribus affecit, pluracq; ijs, si uiri euaderent, pollicens, sī minus, filij, uxoris, amicisq; ipsorum, omnia promissa, sancte iurauit conseruaturum esse. Itaq; omnes illico ad iter compositæ, onustæq; solūmodo puluere & incendiarijs funibus, quibus flamas bombardis inficiunt e litoribus soluunt. Pridie uero Nonas Octobris acrius solito Turcæ armem oppugnauere, terra maricq; operibus & machinis undicq; inuadentes, que pugna usque ad trigesimum eius mensis diem semper magis magisq; recruduit, nihilq; laxamēti datum ob sessis

DIENSIS OPP VGN A.

sessis, sed noctes & dies continuata oppugnatio est, nec ulla transijt dies, qua nō hostes in arcem exonerauerint trecenties, uel quadringēties sua bellica tormenta. Ad hæc singulis diebus nostros extra arcem ad pugnam prouocabant, nostri q̄q̄ numero multo inferiores erant, uirtute tamen eos superare nitebantur, rursus ac rursus per arcis anfractus, ad uallum, & ad eorum turrem usq; exilientes, cuniculis eos oppugnabant, plurimos interficientes. Interea temporis ex assidua tormentorum iaculatione, omnes arcis pinne turriumq; collabuntur, ita ut nostri superne locus non esset, unde tuto in hostes iacerent lapides, pila, aliacq; tela. Postea uero una ex arce turris ad imum usque concidit. qua parte cum nullæ munitiones obstanter, hostes omni adhibita diligentia, arcē ingredi omnibus uiribus satagebant. Nostri autē repugnantibus trabibus, tignis, ualliscq; uallum pro defensione diruti loci erigūt, propugnaculaq; super moenia instruunt, quibus rebus nostri utcunq; se tuebantur. Hostes enim omnem opem contra moliri, munitiones nostras subruentes, uiribus redintegratis, conabantur globos, sagittasque igneas in uallum demittere, ipsi etiam saepius ad uallum, nostris acriter obstantibus, pertincentes. Quæ oppugnatio singulis diebus bis

ages.

DAMIANI A GOES

agebatur, mane & uesperi. Dux Antonius a Sylueira assiduam pertinaciam hostium considerans, in ruderibus collapsæ turris tabulatū, pro defensione compactum erigit. A tergo illico ignem ex picea materia, aridiscq; lignis struit, qui magno incendio, noctu, mane, uespericq; ardebat, interdiu minime incendebatur, quippe ardor solis, & calor combustæ materiæ satis per se ingressum hostibus intercludebat. Qui considerantes ignis rapidissimum ardorem, harpagibus ferreis ad focū cōtendunt, & oēm materialia, quam nostri alimentis ignis tradebant, ea opera eripiebāt. Antonius Dux cōtra alios harpagōes excogitat, lōgissimis hastilibus affixos, his Turcarum harpagones pari industria apprehendit. Turcæ igitur uidentes se nihil proficere, ab hoc oppugnationis genere desistunt. Nulla fuit dies post turris lapsum, quin ex nostris quincq; sexue ceciderit, præter uulneratos, & ab igne læsos. Ex hostibus (ut postea cōpertum est) supra ter mille desiderati sunt, uulnerati, & ab igne ambusti q̄plurimi. Xiiij. autem Calend. Nouemb. ante ortum solis. ecce speculatores nostri aliquot magnas scaphas, quas barcas appellant, quæ remis agebantur, ante muros turris nostræ, quæ quinquaginta militibus asseruabatur, ut antea diximus, ex arcis pinnis animad

DIENSIS OPPUGNA.

animaduertunt præterea octo triremes, quæ na-
ues omnes instructæ erât milite, scalisq; & alijs
machinis ad turrim oppugnandam appositis.
Dux arcis Antonius a Sylueira, subito ab illo
latere, cui turris proximior erat, nonnulla ma-
gna tormenta iussit deportari, inibiq; ducetos
Arcubutarios, ut uocant, dispositi. Ex quo lo-
co cum primum hostes turrim oppugnare coe-
perunt iictibus tormentorum, quatuor scaphæ
a nostris euertuntur, atq; iaculationibus sclo-
petorum multi hostium interficiuntur. Milites
uero quinquaginta, qui turri præsidio erant, for-
titer resistentes, multos interficiunt, ex quibus
unus tantum desideratus est, duodecim uulne-
rati. Illo die cum nihil promouissent Turcæ,
postridie fortiore militum manu reuertutur,
constipati triginta tribus scaphis, decem trire-
mibus, & multis machinis oppugnationi ac-
commodis. Milites qui designati erant ad mu-
ros turris concendendos (quorum numerus
ingens erat) omnes uestiebantur rubro panno,
ut ex cæteris dignoscerentur. Incepto autem præ-
lio, mira arte studioq; , turrim concendere co-
nabantur. Rursus iij, qui ex quinquaginta pro-
pugnaculo integri adhuc seruabantur, for-
titer obstabant, hostes de scalis, quas jam affi-
xas muris habebant, præcipitantes . Præterea

Q

nostri

DAMIANI A GOES

nostris, ex arce opportunitate perspecta, tormenta exonerant, unamq; tremem, & multas scaphas funditus euertunt, ex qua clade ferme oes scalæ & machinæ dilaceratæ sunt, quæ postea a nostris super aquas fluctuantes receptæ fuere, & in arcem comportatae. Hostes uidentes oculos presentem stragæ, mareq; sanguine suorum tinctum, atq; multos lessos, & igne combustos, exanimati plane a certamine destitere, & de loco pedem retulere. Interea temporis aliquot nostrorum ex arce ad ostium, per quod ad mare itur, et rumpunt, paruascq; scaphas cōscendunt, ut hostium spolia per aquas fluctuantia, exciperent, inter quæ tres milites Turcas, præter alios quos in ipsis aquis iactatos hastis persoderunt, uiuos capiunt. Ex quibus Dux Antonius a Sylueira, nonnulla hostiū secreta percepit. Illis duobus diebus interfeci sunt plus res q; octingenti Turcae. Ex nostris (Deo gratia) pauci fuerunt uel occisi, uel vulnerati. Interrim arce stationibus Turcarum globis, sagittisq; perebatur. Quorū ualla tam propinquæ erant nostris muris, ut de turribus in ea spheras cupasq; nostri devoluerint. Triduū postea a Turris dimicatione, Antonius a Sylueira, uidens tempore pomeridiano, ex arcis muro hostes, siue ex lassitudine, siue ex solis ardore, ab opere

DIENSIS OPPVGNA.

opere solito remissiores , quietique se mandantes, subitocentum & quinquaginta selectos milites, per fossæ secretiora loca emittebat, qui tan ta astutia & diligentia usi sunt, ut ad eorum us que castra peruenient, pluresq; ducentis & sexaginta hostium inibi occiderint, multosq; spathis, globulis, hastisque vulneribus afficerint. Deniq; toto exercitu commoto, & ad uim propulsandam consurgente, in arcem se receperunt. Desiderati sunt ex nostris inter innumerabilem illam hostium permiscuā cedem, tantum tres, uulnerati fuerunt sex. Eo die inuenta sunt in fossa arcis diuersorū instrumentorum genera, quæ præterita nocte Turcæ ibibem reposuer ad muros in sequentem oppugnationem educendos, refodiendosq;. Qua re perspecta subito Antonius a Sylueira sub pluteis in ipsam fos sam quadraginta Arcubutarios producit, qui magnam cladem hostibus exilientibus infererant. Itaq; illa pars fossæ defendebatur, nec in eam defilire aliquis hostiū ad tempus ausus est. Dū hæc aguntur, dux Antonius a Sylueira uidens discriminem in quo uersabatur, ex arcis estuarijs aliā celocem productam ad Proregem No nium a Cunha mittit, subsidiū implorat, affirmans (ita ut res erat) círciter centū milites jam périsse, ducentos uero aut uulneratos, aut igne

Q ij ambu

DAMIANI A GOES

ambustos esse. Quo nuntio accepto, Gratianus a Naronha, qui 3. Idus Septemb. in Indiā iam Prorex designatus appulerat, cui Nonius a Cū ha iam cesserat loco, nolens amplius expectare classem, quæ in littore ad regionem tutādam Charmandelij & sinus Persici uersabantur, su-
bito aliquibus nauibus, ex eis quas secū ex Lu-
sitania duxerat, associatis illis quas Nonius a Cunha ante ipsius aduentum instruxerat, se ad nauigationem componit. Nauium autem cata-
logus hic erat. Duodecim magnæ onerariæ, si-
ue holcades, sedecim rostratæ, quas Galleones uocamus, quarum nonnullæ ingenti forma, &
admodum ualidæ erant, uiginti & quinque agi-
les naues, quas Carauellas dicimus, quo genere
nauium soli Lusitani utuntur. uiginti & no-
uem triremes, habentes unaquæcū uiginti &
sex transstra, quindecim actuariae, & uiginti ce-
loes, hæ omnes ad dimicationem paratæ erat,
atcū ingenti numero tormentorum instructæ.
Aderant & aliaæ que commeatum serebant. Ha-
bebat præterea præter nautas & remiges, mili-
tes Lusitanos quinques mille, & nobiles Mal-
labares, quos Naiares uocant, octies mille in ar-
te gladiatoria uersatissimos. Quibus cum co-
pijs, ancoris sublatijs, Diū uersus nauigare coe-
pit, Nonius a Cunha postea illinc soluit, in Lu-
sitaniam

DIENSIS OPP VGN A.

staniā nauigaturus. in itinere uero, iniquo fato
apud Caput bonæ spei diem suum obit. Pisci-
bus, turgidocę marieius cadauer, qui ultra de-
cennium Imperium Orientis , nomine Regis
sui gesserat, traditur. Quæ mors non illi fuit
noxia, quoniam sciebat se ad feliciorem uitam
migraturum, sed nobis Lusitanis. Etenim a-
mabatur ab omnibus, & tanq; unus regni oeu-
lus deosculabatur. Anteq; ex portu solueret
Gratianus a Narōha, literas Emanuelis a Bri-
to ducis Chalij ciuitatis in regno Calequi sitæ
accipit, quibus significabat aduentasse ad Re-
gem Calecutij, celocem , cum legato Solimani
Bassæ ducis Turcarum classis , qui a Maome-
thanis in ipso regno agentibus , miris honoris-
bus fuerat acceptus, præsertim a quodam duce
ipsius Regis Calecutij Maomethano , nomine
Paquemaquaro, qui eum ad Regem usq; comi-
tatus est. In cuius conspectu concisa oratione
ita orsus est. Rex inclyte, Solimanus Bassa , a
potentissimo, invictissimoq; Turcarum Im-
peratore Prorex modo super Indos designa-
tus, te plurimum saluere iubet, indicans se hac•
sola de causa, huc nomine principis sui uentu-
rum, ut natione Lusitanorum deleta, si eius in-
signia, fidemq; suscipere uelis , nomen regnacę
tua in immensum dilatet. Hæc locutus, ei nomi-
ne

DAMIANI A GOES

ne Turcarum Imperatoris talarē ex aureo pan
no uestem, Brachas, atq; pileum in signum fœ
deris offert. Tunc Rex toruo, truculentoc; a
spectu, inquit, nec moris nec consuetudinis Im
peratorum Calecutij fuit (uocant enim antiqui
tus se Reges Calecutij Imperatores) nec erit, do
na accipere, sed dare, nec Regna sua peregrinis
copijs dilatare, sed proprijs, atq; expulsoe Re
ges, regnis suis restituere. Proinde, nobilitatem
astantem respiciēs, Vos hunc proripite, eumq;
cum Duce Paquemaquaro, præcipitem in erga
stulum protrudite, inibiq; stultitie, superbieq;
sui Imperatoris, & ducis poenas iuant. Qua re
gesta, ilico Rex legatos ad Ducem Emanue
lem a Brito mittit, per quos pacem, quam fre
quenter antea uiolauerat, petit, eamq; se san
ctissime deinceps culturū promittit, quam im
petratam per omnes suæ ditionis ciuitates pro
mulgari iubet. Que res omnibus nostris & gra
ta & perutilis fuit, præsertim tempore tam du
bio, in quo ab ipso, ut a vicino & potente hoste
potius erant expectanda incommoda, q; emolu
menta. Est aut̄ iste potens Calecutij Rex nobis
persepe infestus, raro atq; tenuiter amicus, idq;
adeo propter infractam amicitiam inter nos, &
Regem Cochini (ipsius antiquum hostem) a
primis annis, ex quo nostri Indiam incepérunt
fre

DIENSIS OPP VGN A.

frequentare, initam. Est enim Cochinum oppidum, unde totum regnum nomen capit, in quo Proreges Lusitaniæ Regis, diuturniore sedem habent, & inibi omnes naues in Lusitaniam, siue in alias prouincias proficentes instruuntur. Hic igitur Rex Cochini, cum primum ad uentum Turcarum in Indiā intellexit, omnes sui regni nobiles, quos Naiares vocant, ad se ac cersi iubet. Quibus congregatis, omnes in unum eorum sacratus templum (quod Pagoes nominant) uenire edicit. ibi ueterem fidacē Lusitanorum amicitiam in mentem eis redigit, commodaçō non tantum ab ipso peculiariter, sed a toto quoqz regno accepta enumerat. Cognitioneçō facta oēs ad unum usqz iureiurando, manus super quoddam Idolum (quod pro summo numine habent) ponētes, se unanimiter, sancteçō Lusitanis inferuire, paratos esse affirmat. Qua fide a Rege perspecta, illis totius Regni aeraria communicaturum se pollicetur. Idemqz parique modo fecit Rex Cananori. Hostes vero, ut ad historiam reuertamur, qui arcem Disensem oppugnabant, uidentes se nihil proficerre, omni adhibita diligētia, alia ratione, alijsue studijs, eandē expugnare contendunt, aggerem producunt, & uallum afferibus, tigniscqz, quo quo uersus uestitum, quem tantæ altitudinis

con-

DAMIANI A GOES

constitūūt, uti ex eo facile erat intro prospicere,
& quæ nostri agerent, speculari. Hoc, quo ille
sum aduersus ignem tormētaq; existeret, omni
genere materiæ communierunt. Addunt pon-
tes, aliasq; machinas, quibus in arcem descende-
rent. Hæc omnia a nostris, quatenus fieri daba-
tur, perturbabantur. Tandem tertio Cal. No-
vemb. Turcæ prospicientes ex omni certamine
continuam sibi cladem illatam, quasi despera-
tione deducti, ad extremam pugnam penitus
se componunt. In cuius diei nocte, de secunda
vigilia a nostris, præter solitum, gressus, ru-
mor, & hominum e castris ad uallum acceden-
tium, continuo aditus audiuntur. Quod ubi a-
nimaduersum est, magnis ignibus factis, pro-
spiciunt ingentia mancipiorum agmina scalas
machinasq; in uallum comportare. Quæ o-
mnia inde ad radices murorū, tacito susurro,
humī reclinata deponebāt. Quæ insolita signa
satis indicabant acriorem solito dimicationem
sperandam esse. Qua re perculsus Antonius a
Sylueira, milites omnes illico conuocat, quibus
fidem, nativū solum, Regem, uxores, filios, pa-
rentes, amicos, patrię longinquitatē, atq; Tur-
carum perfidiam, paulo ante omnibus perspe-
ctam, in mētem redigit, singulatimq; ab atauis
gentilicia omniū facta commemorat. Pro quis-
bus

DIENSIS OPPVGNA.

quibus oībus deprecari cœpit, uti potius mori malint exemplo suorum majorū, q̄ in manus cruentorum hostiū se dare. Quo sermone addūcti oēs ad īfīsum usq; sacramento se obstrin-gūt, officio atq; fidei suæ nunq; defuturos. Oratione autē finita, mox unicuiq; opus quod facere tenebatur, imponit, & quem quisq; locum tueri deberet, indicat. Commeabant interea quotidie crebrae Solimani de deditione legationes, quae non solum ab ipso Antonio receptæ non fuere, sed ne auditæ quidem. Illa uero nocte nostrorum oculi somnum minime accepere, nec uigiliæ distributæ fuere, sed unusquisq; de anime ad superos migratione, uel de uitæ despiratione deniq; meditabatur, & omnia ad defensionem instruebat, quatenus fieri poterat, & temporis ratio serebat. Sub diluculum eius diei, que Calendę Nouemb. erant, considerantur a nostris, secundū fluuium tacito remigio præter labi quinquaginta magnę scaphæ, quę recta ad turrim, quam in fauibus litoris (ut dictum est) habemus, contendunt. Hæc (ut postea scitum est) simulabant hostes, ut nostris illius lateris turris defensioni incumbentibus, a terrestri parte in arcem proueret. Quarum cogitationum spe adducti hostes, militem in insidijs a tergo ualli tempore nocturno constituūnt, ut citius

R nostris

DAMIANI A GOES

nostris inopinantibus prosilirent. Postea vero duodecim triremes arcem uersus, remigium facere conantur, simulantes arcis oppugnationem, & fluuij ascensum. At dux noster Antonius a Sylueira, hostibus sagacior, iubet ut a parte terrestri, omnia diligenter obseruentur, & quod a maritima, nemo in scaphas, nec in triremes ictū paret, nisi ipso imperante. Illucente die circiter tria millia hostium, subito clamore, atq; tubarum clangore, in arcem irruunt, murosq; descendunt. At nostri sese fortissime obiciunt, eosq; de incenibus acri confictu deiciunt. Habet illi multa uexilla rubra, uiridia, & aliorum colorum, inter quæ unum quadratum albi coloris erat, boum caudis ornatum, quod nomine prophetæ sui Maomethis gestabat. Per seuerauit hæc dimicatio ad spatiū unius horæ, quo tempore hostes a nostris grauiter læsi fuere, quorum multi igne cuparum ambusti, rabiie quadā capti, in mare spōte sese coniiciebāt, qui uel ab aquis oppressi, uel ex nostris turribus arcubutorum ictibus transuerberati, ad unum usq; interempti sunt. Hac militū manu dissipata, cui extante dimicazione, nullum subsidium missum est, subito alia ex castris, paulo imbecillior numero mittitur, virtute tñ, exercitatiōeç longe præstantior, quæ strenue nostros aggredit.

fa

DIENSIS OPPVGNA.

sa est. Milites etiā ut alij, uexilla diuersorū colo-
rum ferebant. Dux Antonius a Sylueira uidēs
hostium uitutem, & latus in quod impetū fe-
cerant admodum infirmū, illico Paim Rodri-
cum ab Arauto, cui secundus locus a dignitate
prætoria, in arce tribuebatur, iubet ex fortiore
turri, cui præerat, se illuc celerrime transserre,
ut locus ferme iā oppressus, ab ipso defendere
tur. Qui stipatus quadraginta militibus, &
ceteris, qui locum defendebant, admistus, in ho-
stes audacter intuolat, multosq; repellendo, fe-
riendo, ac necando, ictu unius arcubuti percus-
sus, subito ad pedes suorū concidit, quod ducis
Antonij auditui grauissimum fuit, attamen re-
pente ad eūdem locum subsidio mittit Emanuel-
lem a Vasquogoncelos, quem triginta milites
comitabantur. Nostri uero iam in magno dis-
crimine uersabantur, multi interfecti, ac com-
plures icti, & igne Iesi erant. Inter mortuos ue-
ro Martinus Vazeus Pachequus, & eius nepos
Gabriel Pachequus, & Antonius Mentius a
Vasquogoncelos, & alij uiri illustres annume-
rabantur, & ipsemēt pfectus eius turris, in qua
oppugnatio agebatur, quæ eadē illa est quā pri-
us ostēdimus ictibūs tormentorū cōcidisse. Is
igitur Emanuel ubi aduenerat, se nostris miscu-
it, ac simul cōglomeratī impetū in hostes faciūt

R ij eosq;

DAMIANI A GOES

cosqz de turri, super quam diu steterant, magna ipsorum strage deturbat. Interea temporis tormenta nostra, tam in uallum & castra, q̄ in tremes, ac alias naues, quæ a parte maritima, currim & arcem miris modis impetebant, exonerabantur, quorum ictibus, & quasi fulminibus magnam cladem hostes accipiebant. Pugnatum est undiquaq̄ ab hostibus, & quasi corona in orbem dimicatum usq; ad tempus post meridianum. Quo conflictu cum a turri depulsi essent, subito duplicato numero, arcē aliæ hostium copiæ aggrediuntur, qui omnes Geniceri, & veterani milites Turcæ, & regni Cambagi erant, numero uero ultra sex millia, in quibus reliquum spei arcis expugnandæ repulsuerat Solimanus. Dux Antonius a Sylueira, qui omnibus arcis angulis præsto erat, huc, illic, uiginti tantum militibus circumstipatus, audit hostes non solum arcem aggressos, uerum etiam muros, atcq; turris repagula superasse. eo dum omni celeritate festinat, suos, atcq; hostes promiscue non super moenia, sed in ipsa arcis area dimicantes, uel potius tumultuantes, aut fluctuantes inuenit. Quo uiso, elatus animi magnitudine, uoce sublimi, inquit, Mei Christiani, Lusitanicq; milites, mementote fidei, patriæ, parentum, mecumq; corpora instar martyrum con-

DIENSIS OPP V G N A.

constanter pergit sacrificare. His dictis, ueluti leo ore cruento, uibrato ense, in medium cateruae se protrudit, huc illucq; iter aperiens, suosq; ueluti oves ex fauibus luporum eripiens, hostes, tanq; pilam, eo, unde uenerant, breui temporis spacio reiecit. Interim a parte litorali tormentis nostris tres triremes euertuntur, uniusq; puppis confringitur. Qua clade accessus hostes a nauali oppugnatione abstinuere, interim tamen terrestre certamen magis magis que uigebat, & magna contentione iterum in nostros impetus fit hostium. Deniq; extitit atque perseuerauit dimicatio hec ad spacium quinc; horarum, eo modo, ut sepius nostri ab hostibus ad extremum areæ repellerentur, contra hostes a nostris reuicerentur ad turrim usq;, per quam ingressi erant, quam ne transirent, duo hostium duces, a calce ad uerticem usq; armati ad eius radices uersabantur. A quibus omnes sui milites e turri desilentes, aut aggredi eam recusantes, spathis, quas utracc; manu gerebant, crucidabantur. Ii tamen a nostris ex arcis pinnis, iictibus arcubitorum saepe petiti, tandem oppressi sunt. Ab alijs etiam lateribus, in arcem pila, & globos igneos hostes deuoluebant, a quibus mire nostri læsi fuissent, nisi prouidentia Ducis Antonij liberati essent, qui nocte pri- dia

DAMIANI A GOES.

diana, hoc timēs, super testudines turriū, māximam aquæ copiam infundere iussit. In qua nostri uersantes, plantas pedū ab ardore ignis illæsas reseruabant. Adeo promiscua fuit hæc pugna, ut ex nostris multi glande arcubutorum in hostem emissā arcubuto ipso per caput arrepto, capita hostium assiduis iictibus ferirent. Qua dimicacione, sine aliqua intermissione durante, compertum est unum tormentum quod camelum vocamus, unum supra viginti iictus emisisse. Arcubutarius erat, etiam inter nostros, qui non agiebat supra centum globos in hostem eiecit. Tandem, Deo fauente, nocteque interueniente, prælium dirimitur. Hostes se in castra magna strage accepta recipiunt, nostris in arce non minore iuxta numerum clade affectis. Desiderati nostrorum eo die fuere septuaginta milites, inter quos decem nobiles numerabantur, trecēti vulnerati, alijque igne taeti, ita ut duodecim tantū remanserint a lesionē immunes. Ex hostibus, ut apparuit, circiter tria millia super quingentos cecidere, præter vulneratos & igne læsos. In quibus sepeliendis, tota illa nocte, & die sequente hostes incubuerunt, quod nostri libere permittebant, nullo iictu tormentorum emisso, ut foetore cadauerum carerent. Erat autem res incredibilis dictu uidere disiecta capitata

DIENSI S. OPP. VGN A!

ta, cerebra, brachia, tibias, intestina, cæteraque corporis membra, quæ in arcis fossa prostrata iacebant. Prælio finito, iam profunda nocte, Dux Antonius a Sylueira, cum uidisset hostes iam ad arcem expugnandam amplius nō niti, nec ad eam aliquam machinam admouere, cu- stodijs dispositis, omnes suos superstites cibo re fici curauit, qui a coena superioris noctis, ad horam illam usque integrum cibum non sumpserant, quod spaciū erat ferme uiginti trium horarū. Refectis autem his, & vulneribus ipsorum reli gatis, mortuisque opere mancipiorum, quæ in arce captiuua habebant, sepultis, se nobiliori bus, quas habebat, uestibus induit, cæterosque itidem facere iubet. Quo facto, canere atque saltare incepunt, cæterisque in sequentibus, magnum clangorem, & uocū, & tubarum per totā noctē excitant. Id quidē agebāt, ut hostes crederet ipsos eo aīo atque uirtute adhuc esse, qua in principe dimicatiōis fuerant, inter quas choreas & ti biarum concentus, non risus aut cachinni, sed lachrymę profluebant, hostias se futuras in proximum haud dubitanter, si denuo oppugnatio tentaretur. Tādem finita saltatione iuratum est se in proxima dimicacione ea obstinatione animorum pugnaturos, ut si Turca loco potiretur, non antea pugnandi, q̄ uiuendi finem factu

ros

DAMIANI A GOES

ros, nec unq̄ passuros, ut uiui in hostium potes-
statem uenirēt, cedibus & stragibus ultionem
suæ mortis petituros, eamq; uictoriam hosti-
bus luctuosissimam futuram, non enim se in
spem uitę, sed ad uindictam mortis certaturos.
Interim nostris in huiusmodi saltationibus, &
cātilemis impeditis, Dux certis hominibus, qui
bus maxime fidebat, iussit ut ex tormentis ma-
ritimae parti adiacentibus, ubi semper minus
(quippe latus illud natura erat munitum) im-
minebat periculi, puluis adimeretur, ut ex illo
cupas ac globos igneos implerēt, quo in sequen-
tis diei dimicationem partem eam, qua arx ter-
ram spectat, munitionem tutioremq; haberēt.
Omni iam maiorum tormentorum puluere ca-
rebant, præter eum, quo tum tormenta instru-
cta erant, quo deficiente, nulla amplius spes de-
fensionis erat. Hanc pulueris penuriam Dux
Antonius semper penes se secretam habuit, pau-
cissimis exceptis, ne ab aliquo mancipiorum ex-
arce fugienti, hostes eam intelligerent. Hac no-
te quidam Venetus nauta, pietate ueri Chris-
tiani affectus, se ad nostros furtim in arcē con-
tulit, qui indicauit Solimanum ob ingenitem
suorum ac classis iacturam constituisse, nisi illo
die, quo ter arcem tentauerat, eam superaret, ca-
stra amouere, nauesq; concendere, & Mecchā
uersus

DE REB. ET IM. LVS IT.

uersus nauigare. Quod iam magis cogebatur facere, ob atrocem acceptam stragem. præterea narrabat, ipsum Solimanū mire succēsuisse Co
iq; Cessaro occisi Regis Cābaiæ Duci, a quo as-
serebat se circumuentum esse, qui sæpius & co-
ram, & per literas affirmasset, arcem minime fir-
mam futuram aduersus ipsius potentiam, secq;
ulterius habiturum omnes Reges Indiæ aduer-
sus Lusitanos promptissimos socios. Nam il-
los unanimi sententia ipsi pecunias ac copias ue-
nienti mittere constituisse. Quæ omnia falsa ac
fraudulenta deprehendit. Sed & multa plu-
ra dixit bonus ille transfuga, quæ postea uera
inuenta fuere. Attamen nostri pro temporis ra-
tione, eius uerbis non magnam adhibebant fi-
dem, tametsi haec audientes animo non nihil re-
focillarentur, ac aliquid ab extrema illa despe-
ratione remitterent. Proinde a suo opere non
desistebant, ut si forte rursus hostes ad pugnam
redire euenisset, se defenserent. Nocte præ-
terlapsa, dieq; progrediente, hostes (ut prius di-
ctum est) in suis medendis, & sepeliendis occu-
pati fuere, nec ipsis a nostris, nec nostri ab ipsis
petiti sunt. Sequenti uero nocte (Dei opera)
ecce sedecim illæ Liburnicæ, quas Nonius a
Cunha Prorex miserat, aduentant, quæ qua-
tuor millibus passuum a' classe Turcica adhuc
S distan-

DAMIANI A GOES

distantes, ducum cōfilio, in unaquaq; quatuor luculentas faces erigunt, quæ ob noctis obscuritatem uisum hostium quadruplo fallebant; existimantes, pro ignium numero, multitudinem nauium respondere. Hoc stratagemate usi magna celeritate, clamoreq; edito, ac tormentis oibus crepantibus, impetum in classem hostiū faciunt, ac nullo incōmodo accepto, arcis naualem magna omnium alacritate ingrediuntur. Quo insperato subsidio Solimanus longe plus perterritus, nullo seruato ordine, omnia tormenta, comeatum, castraq; integra relinquens, se eadem nocte, in naues cum suis contulit. Et tāta celeritate nauigare cœpit, ut orto sole, nullum eius classis uestigium appareret. Milites regni Cambaiæ hæc uidentes, se extra insulam, fluum tranantes, conferunt. Tancus fuit omnium terror ac timor, ut relictis plus millibus hominum uulneratorum, ac igne læsorum in castris, insuper millibus aliorum, qui prædā di gratia paulo ante ex castris discesserant, fugerint, qui omnes ad unum postea ab incolis, ut nobis gratificarentur, & ut turpia in ipsos petrata facinora, vindicarent, trucidati sunt. Nostri ex ea pugna, ingentia spolia, præter oīa tormenta bellica, quæ circiter centum & quinq; quaginta numero erāt, obtinuerūt. Fuga itaq; hostiū

DE REB. ET IM. LVSIT.

hostium facta, confessim Antonius a Sylveira,
celocem ad Proregem Gratianum a Noronha
mittit, eicq; res ibi gestas indicat, quæ illū cum
tota classe, circiter centum & sexaginta milli-
bus pass. tantum a Dio distantem iam inuenit.
Quo nuncio exultates, omnes gaudio magno
affecti sunt, q̄c̄ Gratianus doleret se hostes an-
te portum non reperisse, nec eorū classem oppu-
gnare posse, atq; gloriā liberatæ arcis reporta-
re. Nihilominus hęc dū accepit, extēplo versus
mare rubrum cursum ea intentione dirigit, ut
profugos hostes, aut terra aut mari aggrederec̄.
¶ De rebus, & imperio Lusitanorum ad Pau-
lum Louium Damiani a Goes disceptatiūcula:

Huiusmodi multa sunt doctissime Bēbe,
quæ quotidie a nostris in Africa, Asiaq;
pro sacrosancta fide catholica aguntur, quæ si
Paulum Louium Nouocomensem, virum (ut
fatear) doctum, non latuissent, ea quæ in sua
Moschouitarum legatione, deceptus cuiusdam
Pauli Centurionis Genuensis uerbis, scribit, nū
quam in lucem dedisset. ubi eundem Paulum
iniurijs Lusitanorum accensum, ita afferentem
introducit, Lusitanorum nauigationibus, non
solum itinera reliquis nationibus in Indiam in-
tercludi, uerum etiā omnia aromata, inibi com-
parata, ingēti quæstu Vlyssippone, bona dum
S ij ser

DAMIANI A GOES

seruant, corruptaq; prostituunt, uenundari. Id autem non dabimus Pauli verbis, ut hanc im- posturam agnoscamus. Siquidem singulis an- nis, a Regis nostri negotiatoribus, omnia ad u- num aromata, que ex India deportata fuerint, diuenduntur. Nuncq; enim inde tatum aroma tum aduehitur, quin facile uertete anno ab Eu- ropa absumatur, preter piper, quod in multis annos sine corruptione seruari potest. Nec cre- do Paulum illum Genuensem ob publicum bo- num talia blaterare, sed proprio commodo ad istius uerba incitari, propter quod & cæteræ quoq; nationes, nostræ inuident nauigationi, potius suum lucrum affectantes, q; propagatio nem religionis. Porro nos id quoq; quod con- fiteri nefas non est, emolumentum etiam & o- pes ex nostris peregrinationibus querimus, sine quo uix tota Europa sustinere posset sumptus, quos quotidie facimus. Certe uel ob id laudari debemus, quod nō ut inermes negotiatores ad quæstum tatum modo aromatum per Oceanū oberramus, ut multæ nationes Italæ, Hispa- niæ, Galliæq; antiquitus fecere, & modo faciūt, sed exercitibus, classib; instructi maximo cum metu hostium, non tam pomeria nostræ ditio- nis, quam Christianæ fidei prorogamus. Nec, ut falso multi opinantur, ex omnibus nostris nauis

DE REB. ET IMP. LVSIT.

nauigationibus lucrum elicimus, sed ex pluribus pro religione dimicando, magnam hominum ac pecuniarum iacturam facimus, ut in Mauritania, & Atlantico littore, ubi domitis, & in mancipiorum genus redactis Maomethanis omnibus qui Lusitaniam occupabant, idq; multis annis confligendo, paucis nostrorum copijs. Deinde Castellanis, eorūq; socijs omnibus, ac Gallis, unico prælio ad Scalabitanū deuictis, ac ex regno depulsis, subito Abylā, siue Ceiptā celeberrimam ciuitatem in fæto Herculeo sitam occupauimus. Postea uero Reges Fez & Hesperidū multis conflictibus subactis, Tinigidē, Argillam, Alcacerem, Tutuanum, Asaphium, Castellum Regale, ac Assamorum, Titionum & Massaganum, istorum Regum patriæ monia expugnauimus, & alia oppida, quæ excidijs deleta sunt. Ex quibus locis omnibus non solum nihil commodi Regi nostro accrescit, sed etiam ingens sumptus impeditur, idq; cum iactura multorum nobilium, quos ibi perpetuo in præsidio habet. Vtinam doctissimus ille Iouius ista una cum ijs, quæ in Aethiopia a nostris geruntur, perspecta habuisset, ubi nostra opera & sermone potentissimus Rex Manicon gri cum toto suo regno c quod in longitudine tria millia millium pass. habet, in latitudine ul

S ij tra

DAMIANI A GOES

tra duo millia millium) fidem Christi accepit,
eamq; indies magis magisq; colit. Deinde uti-
nam & id quoq; cognitum habuisset, quomo-
do in omnibus Gningæ ac Nigritarum regnis,
quæ plurima sunt, & ad montes Lunæ ferme
usq;, atq; in regnis Zofalæ, Bennamataxæ,
Mocambiqui, Quilloæ, Monbacæ, Melindi,
& in alijs, atq; in insula diui Laurētij, & usq;
ad Arabicum sinum, liceat eandem Christi fi-
dem per nos prædicari , atq; in latissima Au-
stralî Brasilliæ plaga, ubi multas colonias nūc
habemus. In quibus Regnis, multi ad ipsam re-
ligionis ueritatem a nostris concionatoribus
perduci sunt. Præterea nostris quoque armis
& classibus fit , ut liceat (idq; nostris magnis
sumptibus) Oratores potentissimi Præciosi Io-
annis Aethiopum Imperatoris , tuto in aulam
Romanam commeare, ac principis sui uerbis,
Romanum Pontificem ut supremum Episco-
pum agnoscere, subditorumq; obsequia polli-
ceri, id in mandatis habentes, ut se catholicæ ee-
clesiæ coniungant. Quæ res adeo præclara, ut
gratulatioñe, non odio prosequenda esset, si ue-
re Christi cultores essemus. Iam ut omittam,
quo pacto nostri, s̄epius sinum Arabicum per-
errantes, Sueziū usq; peruenient, oēsq; ferme
cuius litorales ciuitates evastauerint, ac iēpla Ma-
ome

DE REB. ET IM. LVSIT.

omethanorum incendijs absumperint, nec id quidem sine ingentibus sumptibus, ac magna nostrorum iactura cōficitur, quæstu prope nul lo. Rursum q̄ regnum Adeneñ. nobis tributariū cum Faraquorum regno fecerimus, si numq; Persicum in ditionem, iusq; nostrū fere totum redegerimus. Vbi regnum & insula Oro muziæ, iam tanq; Lusitaniæ legitima patrimo nia sita sunt. Ad hęc regnum quoq; Cambaizæ, a nobis hoc tempore domitū est, & eius firmissima ciuitas Dium occupatum. In quo loco in gens classis Sultani Babylonie, milite etiā Chri stiano instructissima, ac trecentis Regis Cambaiz nauibus, quas Attalaias uocamus, & qua draginta Regis Calecutij, quas Parahos nominant, a Prorege Francisco de Almeida an. 1509. profligata est, pleriq; nauibus, aut captis, aut demersis cum ingenti hostium clade. Quid hic referam Dacam, Cheul, Dabul, Bandam, ac Insulam Goę, quę tota iam Christo patet. Postremo q; ad Reges Narsingæ, Honori, Bate calle, Otilæ, Deli, Cananori, Callequi, Calecutij, Cochini, Coulani, insulæq; Seylani, & ultra Gangem ad reges Bengallæ, Pegui, Syani, & ad magnam Malachæ ciuitatem, quam primo Alfunsus de Albuquerque Prorex, ditioni no stræ adiécit cui etiam debemus Oromuziæ,

ac

DAMIANI A GOES

ac Goë imperium) & ad insulam Samatræ. Ad Iauam quoç minorem & maiorem, & ad insulas Bandæ, Moluqui, & ad Borneum. postremo ad Chinam, ad Lequios deniqz nationem uix ante hac cognitam, fidem Christi propagatam esse, quod nostri non æstimandis laboribus atqz sumptibus obtinuerunt, quorum Reges, & plures alij, quos omitto, multi se seruos Regis nostri uocant. nonnulli tributarios, & confœderatos, alij amicos, apud quos, siue ex foederatorum genere sint, siue ex numero dediti torum, ab Herculeis columnis usqz ad Chinam & Lequios per omnes provincias maritimas, nobis autoribus, fides Christi celebratur, ita tamen, ut alibi id liceat colloquijs & sermonibus, alibi publicis concionibus, nonnullis in locis phana quoç, & templo religioni Christi anæ dedicentur. Nunc certe in omnem terram exiuit sonus, & in fines orbis terræ uerba eorū, & spes est longius sensim ad mediterranea, fidem Christi propagatum iri, & Christo faute re, & nostrorum prædicatione. Quibus rebus omnibus consideratis, & q Rex noster a principio nauigationis nostræ in Indiam, cogatur perpetuo alere, tam in Mauritania, q in ipsis Indijs, & in alijs quoç prouincijs, ordinarium & perpetuum exercitum. . ferme millium milium cum

DE R E B. ET I M P. L V S I T.

tum, quos sumptus domesticis opibus tolerat,
nullis ad hoc ab amicis auxilijs corrogatis. His
adjice classem plusq; trecentarum omnis gene-
ris nauium, quas nunq; otiosas, sed in perpetuis
expeditionibus occupatas habet, ut iā non enu-
merem extraordinarios sumptus, quos ad subi-
ta bella facere cogitur, nam quæ superius recen-
sui, impensæ pacis & tranquillitatis sunt, non
bellorum, quæ subinde alijs ac alijs in locis ge-
renda sunt, dum aut fines tuetur, aut socios pro-
tegit, aut fines imperij promouet. Quis piorum
Christianorum non desinat nos maledictis la-
cessere, considerans ad tot sumptus sustinēdos
magnum omnino requiri lucrum? Quod sane
nobis inuidere non debent, sed potius augere,
aromata nostra carius emēdo (q; a nostris sem-
per uilius uendita sint, q; olim a ceteris nationi-
bus uendebātur) ut ea pecunia Maomethani de-
facie terræ (quando alij Christiani principes in-
ter se dimicādo Christianā ditionē neglectui ha-
bent) deleantur, & sacrosancta fides passim ac
tuto prædicetur. Hæc omnia si ille bonus ac do-
ctus Paulus Io. sciuisse, nunq; aut de questu no-
stro inuidiam mouisset, aut corrupta aromata
pro integris uendi asseruisset, quippe cū edicto
Regis, placitisq; totius regni mucida, adulteri
naque semper crementur, id quod dum puer ab
intimis

DAMIANI A GOES

intimis cubiculis prudentissimi Regis Emb
nuelis essem, sapius uidi Vlyssippone fieri. Ce
terum, si qua istius rei culpa est, ea apud solos
istos tabernarios propolas & institores h̄eret,
quibus nihil sancti, nisi quod cum lucro con
iunctum est, in quos animaduertendum esset,
nam ī omnium generum mercimoniorum cor
ruptela uerissima sunt. Hęc si Louio comperta
fuissent, non nostras laudes arrofisset, sed beni
gna pr̄dicatione celebrasset, quod illi ob ter
rissimam eloquentiam & facile, & expeditum
fuisset. Hęc ad Dicn. oppugnationem, de no
strorum Lusitanorum gestis, obiter adieci, uti
per te (cuius amplitudo summa est) gratiam
aliquam, & commendationem huic di
scēptatiunculae nostrae conciliarē,
quo illa ex tua autoritate ma
jorem ubiqz fidem eme
retur. Vale.

PETRI NANNII ALCMA
riani Elegiacum in Damiani a Goes equitis
Lusitani, uiri non minus humanitate q
literis exculti commentarios, de
rebus citra Gangem in In
dia gestis.

Non h̄ic bella leges Ital⁹ pugnata sub oris,
Aut quorum Tybris conscius esse queat.
Non Europæis conserta h̄ac prælia campis,
Non cœde hac rubuit terra Lybissa graui.

Noa

DE REB. ET IMP. LVSIT.

Non regna ulla Asiae stragē hanc uidere cruentā,
Quæcunq; Euphrates, Tigris, Araxis obit.
Extra orbem est, quodcunq; leges tellure sub ipsa,
Qua parte Arctophylax sydera nulla tenet.
Feruet ubi æstiuo gelidissima bruma calore,
Atq; ubi sub Cancri sydere regnat hyems.
Hic Lusitani gens flumine diuite diues,
Queis Tagus auriferis fulvis inundat aquis.
Antipodas pariter, pariter Mahumetia castra
Vicere, & uictis imposuere iugum.
Hęc si scire uelis adeas Damisanica scripta.
Singula nam pudent ordine gesta suo.
Nil ille adsingit, nil detrahit, omnia certa,
Nixa fide scriptis integer inseruit.
Ille ducum fraudes, & furti bella recenset,
Prælia per terras, naumachiasq; refert.
Quas habuit uires, quæ pectora miles uterq;
Quæ forma armorum, militiæq; genus.
Qui numerus castris, quot in agmine quęq; secuti,
Quamq; diu, & quoties prælia constiterint.
Quid cladem attulerit, qua re sint parta trophæa.
Singula per causas explicat ille suas.
Inde sit, ut discas bellare, hęc bella legendō,
Et sis pugnator, qui modo ictor eras.
Hęc ego lectori, tibi nunc loquer optime Bembe,
Orbis honor, seclī gloria Bembe tui.
Quo usuo uiuit Cicero post fata superstes,
Atq; ex ore tuo uerba animata sonat.
Ille tuos artus uegetans, mentemq; sonumq;
Inspirans, solito detonat eloquio.
Hinc mihi Pythagoræ doctrina haud uana uideſ,
Qua docet alterius membra subire animam.
Ipſe

Ipse erat expertus, expertus & Ennius ipse,
Ille sui Euphorbi, Meonidae iste memor.
Tertius est testis Cicero in te Bembe renatus,
Durum est tam sanctis credere nolle uiris.
Frustra hoc abnueris, quod de te credimus oes,
Tullius ut non sis, ne Cicerona sones.
Te tua uox prodit, frustraq; modestia dotes
Dissimulat, soli lux sua semper adest.
Quod si te nolis totum Cicerona uocari,
Corpore sis Bembus, Tullius ingenio.
De uultu Arpinas ciuem te uendicet, an non.
Iudicet ex scriptis Tullius argueris.
Hoc quoq; testatur Damianus amicus amico,
Qui scatet eulogis plenus ubiq; tuis.
Ille tuos mores omni uirtute beatos
Prædicat, & uiuis pingit imaginibus,
Quamq; modesto animo sis hoc in culmine res,
Quam pura a uitijs pectora sancta geras.
Quam facilis cunctis, doctos doctissimus ipse
Quantum adames, quantu sedulus usq; iuues.
Cuncta docet, dignusq; fide est, grauis autor, & ipsa
Non aliter de te publica fama canit.
Quod scribo ignoscas, huc me Damianus adegit,
Paruimus iussis, culpa mea obsequij est.
Noluit ille prius nostris obsistere uotis,
Et facili nostras audiit aure preces.
Nam premeret huc librū, tenebrisq; addicere certus,
Admonitu nostro destitit occulere:
Vicit amore pudor, qui (ut scis) est magnus in
Indulxit nobis, morigerusq; fuit. (illo.)
Cuj; meo suasu sua scripta haec publica fecit,
Scribere me illius par fuit arbitrio.

¶ FIN IS. ¶

HISPAÑIA
DAMIANI A GOES
Equitis Lusitani.



DAMIANVS

A GOES EQVES LVSITA
nus Petro Nannio, Latino apud Loua
nieñ, Professori dignissimo, ami
coꝝ non uulgari, S. D.

CVm s̄epenumero rerum Hispanicarum
mentio inter nos amantissime Nanni in-
cidisset, multis argumentis cognoui te nōdum
hsdem satiatum, ampliorem earum noticiam e-
scriptis nostris expectare. Quamobrem opta-
tis tuis parentes, hæc tali lege tibi cedere uolui-
mus, ut si arriserint, legas, amicisq; tuis huius-
modi rerum noticiam cupientibus com-
munices, sin minus, Vulcano tra-
das. Vale.

CLARISSI

MO EQVITI ERVDITIO.

ne & humanitate insigni D. Damiano

a Goes, Petrus Nannius

S. P. D.

Libellum tuum amplissime Damiane, eo
animo accepi, ut si mihi ingens thesaurus
oblatus fuisset, nec alacrior, nec hilarior esse po-
tuisse. Sunt mihi a te alia præclara munera,
sed nequaquam pari honore æstimanda, cum il-
la tantummodo precij magnitudine, dignita-
tem habeant, iste de ingenij tui præstantia ue-
nerationem mereatur. Admirabilis ibi ordo,
singulæcꝝ res in suas classes distributæ sunt,
quam rationem scribendi maxime uidetur Sue-
conius adamasse. Habent in tuo libro singula
suam peculiarem stationem, hic Regnorum ui-
res, illuc Episcoporum & Satraparum opes de-
scribuntur. Habent suum catalogum Sancti
Hispani, habent viri eruditæ, Duces quoqꝝ bel-
lo clari in sua a te legitima acie constituti sunt.
Habent merces sua fora, quas Hispania uel ac-
cipit, uel donat. Denicꝝ Antipodum munera,
quæ duplice ratione Hispanorū sunt, uel quod
ipsi hunc orbem inuenerunt, uel quod soli inde

T ij omnia

omnia deportant, in suas apothecas a te digeruntur. Quid multa & nihil omittis quod ad laudem Hispaniae pertinet. Quamobrem quae olim de Hispania legebam, potius admiratio neque fide prosequabar, nunc tua authoritate efficis, ut me non amplius admirarem solum, sed & credentem habeant. Non mihi iam figmentum uidetur auro Tagum turbidū fluere, equas ex fauonio subuentaneum foetum cōcipere, me ritocque mihi fecisse uidetur Vespasianus, quod uniuersae Hispanie ius Latij donarit, rectumque etiam iudicium Plinij existimo, qui Hispaniam censuit proximam esse Italiæ laudibus. Enumerantur enim a te innumerabiles opum frumentorum thesauri, ut Plutus & Ceres non alibi quam in Hispania, aut certe peculiariter sedes habere videantur. Obstrepunt hic quædam uerba nouitia, sed fastidioso lectori, æquo enim aestimatori non uenia, sed laude dignus habebetis, quod res nouas uetusitate incognitas nouis uocabulis, ut intelligi possint, explicueris. In apologia actior es, sed stimulis de amore patriæ profectis. amabit tuum pectus quisquis pietatem amat, & patrig studium inter uirtutes adnumerat. Librū igitur tantæ utilitatis, quem tu aut Vulcano tradi, aut amicis tantummodo communicari iubebas, prælo subieci. Nefas enim

enim putauī id intra paucorum manus conti-
neri, quod tāto usui publice esse posset. Quod
si singularum prouinciarum eodem modo ui-
res & opes descriptæ essent, magnum profecto
instrumentum haberent docti ad historias con-
dendas, quum nerui bellorum pecuniae sint, ea
rumq; inopia uel copia multiplices causas &
cladum & uictoriarum adferat. Fieri non po-
test ut quis recte in historia uersetur, nisi utri-
usq; partis opes & copias cognitas habeat, &
lectorū exponat. qua in re utinam aliquot Latī
ni scriptores diligentiores essent, eacq; in parte
Thucydidem imitarentur. Tantum igitur mi-
hi in rebus tuis, te inconsulto permisi, nec offen-
sam timui ex hac mea audacia, qui quiduis in
Nannio tuo & ferre & probare soles. Nec ut
iniquior sis, ius habes expostulādi, si quod
meum esse uoluisti, utar pro meo ar-
bitrio. Bene uale ampliss. &
eruditiss. Damiane.
Louanij.

DAMIANI A GOES

HISPANIAE, CVIVS NOMINA, VARII varijs nominibus amplectuntur, hęc sequens est amplitudo, pos- tentia ubertasq.

DE eius situ, latitudine, longitudine, atq; poli elevatione, cum id satis inter cosmographos constet, nihil hic dicturi sumus, ea au- tem, quæ rariora sunt, explicabimus.

Nec etiam id tacituri, quod antiqui scripto- res testatum olim reliquerunt, eam adhuc au- ri, argenti, cupri, stanni, plumbi, ferri, omni umq; metallorum fodinis abundare, nechon argentii uiui, salis quoq; uberrimam esse.

De frugibus non est quod multum discepte- tur, cum omnino ferax uini, olei, mellis, la- ctis, frumenti, fructuumq; omnium sit.

Abundat etiam ouibus, bobus, equis gene- rosissimis, piscibusq; diuersorum generum. Ferarum quoq; & auium mira copia.

Sunt quoq; in ea diuersis in locis calidi & frigidi fontes, ad diuersos morbos efficaciam mirabilem habentes.

DI-

H I S P A N I A.
D I V I D I T V R H I S P A N I A

in duodecim Regna, nempe,
Castellæ antiquæ & nouæ.

Leonis.

Aragonie.

Portugallie.

Nauarræ.

Granatæ.

Valentie.

Toleti.

Gallitæ.

Algarbiorum.

Murtie.

Cordubæ.

Quorum regnum uectigalia ut pro comis
perto habetur, magna sunt, nec enim sigillatim
quid ex unoquoq[ue] regno Regibus Hispanie ac
crebat auderem dicere, cū dubitem id ne eis gra
tum futurum sit, an non. Sed hoc scito, Reges
istius Hispanie, que a nonnullis imperitis ho
minibus satis temere sterilis nūcupatur, annue
ultra quinquagies cētene millia ducatorum au
torum, preter exactiones, inde accipere.

D E regnis diximus, modo ad clerum uenia
mus, In cuius reddituum computu Lu
cium Marinum Siculum sequemur, qui felic
ius id quam Principum Hispanie prouentus
expli-

DAMIANI A GOES

explicuit.

Archiepiscopus Toletanus, Castellæ Cæ-	
cellarius habet annue plus minus i 50000.	
aureorum ducatorū, habet etiam in suos	
familiares conferendos circiter 100000.	
Archiepiscopus Hispalensis 24000.	
Archiepiscopus S. Iacobi 20000.	
Archiepiscopus Granatensis 10000.	

E P I S C O P I .

Episcopus Burgensis	20000.
Episcopus Ciguntensis	20000.
Episcopus Cunquensis	16000.
Episcopus Placentinus	15000.
Episcopus Palentinus, Comes Perniens-	
sis	13000.
Episcopus Iaenensis	10000.
Episcopus Segouiensis	14000.
Episcopus Auillensis	8000.
Episcopus Camorenis	12000.
Episcopus Cordubensis	12000.
Episcopus Osinensis.	10000.
Episcopus Leonensis	9000.
Episcopus Calahorensis	12000.
Episcopus Salmanticensis	10000.
Episcopus Badaiocensis	6000.
Episcopus Ouidensis	6000.
Episcopus Cartageniensis	5000.
Episco	

H I S P A N I A.

Episcopus Asturgensis	4000.
Episcopus Coriensis	1000.
Episcopus ciuitatis Rodrigensis	4000.
Episcopus Malagensis	10000.
Episcopus Calixensis	8500.
Episcopus Guaditanus	2000.
Episcopus Almeriensis	1500.
Episcopus Mondonensis	1500.
Episcopus Tuiensis	2000.
Episcopus Lugensis	1500.
Episcopus Orenensis	3000.
Episcopus Canariensis	8000.
Archiepiscopus Caragucensis	20000.
Archiepiscopus Valentinus	13000.
Archiepiscopus Tarragonensis	9000.
Episcopus Taraconensis	5000.
Episcopus Huelcensis	3000.
Episcopus Segorbiensis atq; Albarrazensis	3000.
Episcopus Barchinonensis	5000.
Episcopus Leridensis	5000.
Episcopus Tortosensis	8000.
Episcopus Gironensis	4000.
Episcopus Vrgellensis	7000.
Episcopus Vicquensis	2500.
Episcopus Eunienensis	1500.
Episcopus Pamplonensis	6000.
V	Sunt

DAMIANI A GOES

Sunt & alij permulti Episcopi nouarum prouinciarum, Indiarumq; Occidētaliū, nuper inventarum, ex collatione sive iure patronatus quoq; Regis Castellę, quos hic nō exprimo.

REGNORVM PORTV.

galliae & Algarbiorum.

Archiepiscopus Bracharensis, qui propter antiquitatem cum Toletano Archiepiscopo, ad hunc diem usq; de primatu (ut uocant) totius Hispaniæ disceptat, habet 24000.

Archiepiscopus Vlyssipponensis	16000
Archiepiscopus Funchalenſis	8000
Episcopus Eborensis	20000
Episcopus Vilseensis	18000
Episcopus Guardensis	5000
Episcopus Colimbriensis	12000
Episcopus Portensis	4000
Episcopus Lamecensis	6000
Episcopus Syluensis	4000
Episcopus Cæptenſis	2000

Præter hos sunt adhuc alij Episcopi India rum Orientalium, Africæ & Aethiopiæ, & multarum insularum ex collatione Regis Portugalliae, quos hic prætero.

Volu autem hic omnes Episcopales ciuitates Hispaniæ mihi saltē cognitas, cum putem adhuc

H I S P A N I A.

adhuc plures esse, proprijs huius temporis non
minibus ob maiorem cognitionem recensere.

Sciendum quoq; ois Hispaniae cleri prouentus (Abbates excipio) Duplo maiores q; Episcoporum esse. Idq; preter aliquot decimas & primitias, quæ in multis locis Regibus atq; magnatibus, ex Pontificum indultis colliguntur. Ex quibus quidem redditibus iure omnes simul tenentur unicuiq; ecclesiæ suū animarum curatum, ut aiunt, siue pastorem alere, qui ex patre & consuetudine, omnia ecclesiæ sacramenta populo gratis, siue in templo, siue extra templum siue in priuatis domibus administrat. Quod utinam in ceteris prouincijs fieret, ubi ita pasto ratus uenduntur, ut pastores pro uitæ alimento, ac pensione soluenda, sacramentorum administrationem saepe iniuti cogantur nundinari.

Est præterea innumera Abbatiarum & monasteriorum copia, quarum prouentus non solum cleri redditus æquat, sed etiam superat, inter quas sunt nonnullæ habentes decem, duo decim, quindecim millia ducatorum annue per multæ inter quatuor, & decem millia fluctuant, innumeræ rursus ab hac summa declinant. ita tamen ut sine aliqua controuersia h; qui se cultui diuino dedere, habeat in Hispania singulis annis, ultra quadragies centena millia du-

V. ii cato.

DAMIANI A GOES

catorum, præter id, quod Commendatarij, & eorum magistri possident, que summa etiam in gens est. Ex quo facile apparet, quam religiosi semper fuerint Hispani, & quam cediti cultui diuino, cum tam liberaliter suas eleemosynas Christi ecclesijs impariti sint.

Habet ulterius Regnum Castellæ quatuor Magistros equitum (seu ut vocant) ordinum, qui magnos admodum habent redditus.

Quorum primus S. Iacobi est.

Secundus Calatrauæ.

Tertius Alcantaræ.

Hæc tria officia dignitatum, temporibus Ferdinandi & Elizabet catholicorum Regum Castellæ, cum consensu Pontificis ad coronam Regni deuoluta sunt.

Quartus est Magister equitum Rhodien sium, ordinis diui Iohannis.

Ordo sancti Iacobi ornatur duobus commendatarijs primarijs, quorum unus dicitur commendatarius maior Castellensis, alter Leonensis.

Ordines Alcantaræ & Calatrauæ, habent singuli suum commendatarium maiorem & suum clauigerū, sub quibus maioribus commendatarijs ingens commendatariorum equitum est copia, habentium magnos redditus.

Ara-

H I S P A N I A.

Aragonie, Valentie, & Catellonie Regna unum habent equitum magistrum ordinis Montesie, magnos quoque habentem redditus.

ORDINES REGNORVM

Portugallie & Algarbiorum.

Primus est magister ordinis Christi, qui magister ipse Rex est, cuius ministerij prouen-
tus admodum magni sunt, inde, quod huic or-
dini omnes prouincie inueniae, tam in Africa,
quam in Asia, & Brisilia, cum omnibus insu-
lis, atque Orientalis Indiae annexae sint.

Secundus est ordinis sancti Iacobi.

Tertius ordinis, qui de Auis dicitur.

Habent quoque hi ordines suos maiores Com-
mendatarios & Clavigeros, sub quib[us] etiam
est magna equitum Commendatariorum co-
pia, magnos redditus possidentium.

Quartus est magister equitum Rhodiens-
ium, ordinis sancti Ioannis, qui prior a Cra-
to dicitur, qui tres magistri magnos etiam red-
ditus possident.

Magnatum Hispaniae Index.

Et primum de Regnis Castellae, Legio-
nis, Aragonie, Nauarræ, Granate, Valen-
tie, Toleti, Gallitiae, Murtiae, Cordubæ.

Prin

DAMIANI A GOES

Princeps Asturiarum.

Dux de Arsona.

Comestabilis Castellæ, Dux Friensis, pri-
mus Regis cubicularius.

Archithalassus Castellæ & Granate uul-
go Ammiraldus, & Dux de Medina , de Rio

Dux de Bejar. (Sequo;

Dux de Scalona.

Dux de Medina cœli.

Dux de Medina Sidoniæ,

Dux de Arcos.

Dux del Infantazgo.

Dux de Afua.

Dux de Naiara;

Dux de Maqueda.

Dux de Albuquerque.

Dux de Cardona, Comestabilis Arago-

Dux de Segorue. niae

Dux de Gandia.

Dux de Villa formosa.

Dux de Luna.

Archithalassus Aragonensis Marchio.

Dux de Sauiote.

MARCHIONES;

Marchio de Oristan.

Marchio de Gotiano,

Marchio

H I S P A N I A.

Marchio de Villena.
Marchio de Astorga.
Marchio de Tarifa.
Marchio de los Velez.
Marchio de Zenete.
Marchio de Comares:
Marchio de Aiamonte.
Marchio de Gibraleon.
Marchio de Moya.
Marchio de Logolludo.
Marchio de Zaara.
Marchio de Sentillana.
Marchio de Marchena.
Marchio de Coria.
Marchio de Elche.
Marchio de Cuellar.
Marchio de Lombay.
Marchio de Molina.
Marchio de Mondejar.
Marchio de Poza.
Marchio de Denia.
Marchio de Alcanisas.
Marchio de las Nauas.
Marchio de Tanara.
Marchio de Cerralbo.
Marchio de Cagnete.
Marchio de Villa noua.

Mar-

DAMIANI A GOES

Marchio de Montemaior.
Marchio de Graial.
Marchio de Villa Franca.
Marchio de Monte Claros.
Marchio de Sarria.
Marchio de Aquilar:
Marchio de Barlangua.
Marchio de Camarassa.
Marchio de Pliego.
Marchio de Falces.
Marchio de Cortes.
Marchio de Valle.

C O M I T E S,

Comes Cataloniæ.
Comes de Roisillon.
Comes de Lampurdam.
Comes de Pincerdam.
Comes de Vrgel.
Comes de Benauente.
Comes de Vregna.
Comes de Feria.
Comes de Cabra.
Comes de Velalcácer.
Comes de Miranda Castellæ.
Comes de Salinas.
Comes de Ribagorça.

Cos

H I S P A N I A.

Comes de Lemos.
Comes de Oropesa.
Comes de Alcandet.
Comes de Medellin:
Comes de Syrnela.
Comes de Real de Mancanares.
Comes de Saldagina .
Comes de Melga,
Comes de Haro.
Comes de Vaninares.
Comes de S. Stephano de Gormaz.
Comes de Niebla.
Comes de Valentia.
Comes de Trevigño.
Comes de Ledesma.
Comes de Altamira.
Comes de Fallares.
Comes de Ampurias.
Comes de Lerin , Comestabilis Natuar
Comes de Trastamara , crensis.
Comes de Tendilla.
Comes de Lerma.
Comes de Villalua.
Comes de Castañeda:
Comes de Osorno,
Comes de Ribadeo.
Comes de Castro.

X

Co-

DAMIANI A GOES

Comes de Astudillo.
Comes de Nienas.
Comes de Aquillar.
Comes de Ognate.
Comes de Saluaderra.
Comes de Paredes.
Comes de Monterejo.
Comes de Orgaz.
Comes de Ribadavia.
Comes de Pliego.
Comes de Luna.
Comes de Monte agudo.
Comes de Coregna.
Comes de Fuensalida.
Comes de Cifuentes.
Comes de Aluadelista.
Comes de Benalcazar.
Comes de Sancta Martha.
Comes de Buendio.
Comes de Teua.
Comes de Palma.
Comes de Vagñares.
Comes de Palamos.
Comes de la Deleitoza.
Comes de Miranda Nauarræ.
Comes de Baylen.
Comes de Gelues.

Comes

H I S P A N I A:

Comes de Oliuares.
Comes de la Puebla.
Comes de Sancto Stephano, del Puerto.
Comes del Castellar:
Comes de Cocentayna.
Comes de Albaida.
Comes de Aranda.
Comes de Oliua.
Comes de Gallada.
Comes de Fuentes.
Comes de Belchit.
Comes de Saftago.
Comes de Morata:
Comes de Lagumera.
Comes de Quirre.
Comes de Aithona.
Comes de Almenara.
Comes de Punoenrostro.
Comes de Chinchon.
Comes de Baraias.

V I C E C O M I T E S.

Vicecomes de Altamira.
Vicecomes de Chelua.
Vicecomes de Peralda.
Vicecomes de Ebol.
Vicecomes de Bas.

Xij Vice

DAMIANI A GOES

Vicecomes de Blanes.

Vicecomes de Valduerna.

Vicecomes de Gajano.

Vicecomes de Sterlie.

PORTUGALLIAE MA

gnates & Algarbiorum.

Comestabilis, qui nunc est infans Ludouicus, Regis frater, ac Praefectus regnum confinium, qui uulgo Fonteiro maior dicitur, is enim Ludouicus magister quoq; equitum Rhodiensium est.

Dux Brigantiae.

Dux Colim briensis.

Dux Viseensis.

Dux Trancossensis.

Dux Barcelensis.

Dux Aueriensis.

MARCHIONES.

Marchio de Villa Real.

Marchio de Torres Novas.

Marchio de Monte Maior.

Marchio de Ferreira.

COMITES.

Comes de Marialua.

Comes de Tentugal.

Comes

H I S P A N I A.

Comes de Penella.
Comes de Alcontim.
Comes de Portalægre.
Comes de Feira.
Comes de Lonle.
Comes Monsancto
Comes de Faro.
Comes de Arganil.
Comes de Abrantes.
Comes de Vimioso.
Comes de Villa noua.
Comes de Linhares.
Comes de Vidigeira, Nauarchus, uulgo
Amiraldus.
Comes de Sortelha.
Comes de Castanheira.
Comes de Prado.
Comes de Redondo.
Vicecomes de Lyma:
Regni Archithalassius, uulgo terræ Ami
Baro de Aluito. (raldus;
Rector, siue Prætor, omniū Regnorum,
uulgo Regedor.
Hi Hispaniæ magnates mihi tantum co-
gniti sunt, puto adhuc alios extra meam no-
tiā esse, quos hic adiūgat, quisquis eos me me-
lius

DAMIANI A GOES

Iūs nouerit. Quorum prouentus uiritim non exprimo. Id enim curiosus lector apud Lucū Marinæum Siculum requirat, qui rem non omnino infeliciter tentauit. Ego aut̄ perspiciens eum quibusdam istorum Principum plus, alijs minus diuītiarum, quam possident tribuere, & sciens quam difficile sit alienas facultates ad unguem enumerare, uolui potius silere, quam rem non satis appensam euulgare. Id etiam ueritus iisdem ipsis principibus non satis placitum iri huius rei singularem propalationē. Inter quos autem (nomina fileo) aliquot sunt ut uerissimum est, centum, octoginta, septuaginta, sexagintaq; millia ducatorum aureorū annue possidentes. Non pauci quinquaginta, quadraginta, triginta. Multi viginti, quindecim, decēq;. Cæteri omnes hac summa inferiores, ad minimum trium millium redditus habent. Sic ut si ne mendacio assérere quis possit, Hispaniæ magnatum annuos prouentus uigescit centena milia ducatorum attingere, uel ultra.

Sunt præterea in Hispania non pauci nobiles titulis, uel dignitatibus obscuri, decem, quip decim millia ducatorum annue habentes, estq; aliorum ingens numerus, qui a millibus ad decem millia ducatorum usq; annue possident.

Sunt etiam Reguli, quos pastores Hispani
uo

H I S P A N I A .

uocant, triginta, quadraginta, millia ouium,
& magna m boum, equorum, mulorumq; mul-
titudinem possidentes, quorum familiæ amplis
simæ sunt. Ex quo apparet non frustra dictum
in Hispania talentari pretio arietes admissa-
rios eimi, asinos quoq; admissarios & asinas ad
feturam xl. festeris.

Ornatur etiam Hispania maximo Sancto-
rum numero, quorum Martyrum tantum in-
dicem hic scribere nobis non indignum usum
est, cæteros propter prolixitatem omittimus.

V incentius.
Laurentius.
Victor.
Fronto.
I titius.
Apodonius.
Linxius.
Successus.
Sæctus Faustus.
Martianus.
Vrbanus.
Publius.
Matutinus.
Cassianus.
Fœlix.
Januarius.

Primo

DAMIANIA GOES

Primitius.

Quintilianus.

Enotus.

Cecilianus.

Frontonius.

Cptatus.

Seruandus.

Germanus.

Facundus.

Primitius fratres.

Felix.

Cericus.

Anastasius.

Sætus

Faustus.

Ianuarius.

Martialis.

Eperatus.

Natalius.

Cerinius.

Beturius.

Fœlix

Aquilinus.

Lætarius.

Ianuarius

Florentius.

Fructuosus.

Augurius.

2.

2.

3.

Eulos

H I S P A N I A.

Sanctus Eulogius.
Sanctus Claudio.
Sanctus Lupercus.
Sanctus Victoricus.
Sanctus Emetherius.
Sanctus Celedonius.
Sanctus Eugenius primus Archiepiscopus Toletanus.
Sanctus Zoilus.
Eugratia.
Leocadia.
Eulalia.
Christeta
Sabina sorores S. Vincentij.
Iulitta, mater S. Cerici.
Digna.
Generosia.
Bessa.
Donata.
Secunda.
Euroisia martyr & virgo.
Centolla.
Helena.
Nunilonia
Alodia sorores.

Hi omnes Christi Martyres, ut ex eorum uicinis appareat, fuerunt. Est autem aliorum ingens

Y copia

DAMIANI A GOES
copia, quam ne lectoribus tædio simus, præter
mittendam duximus.

Habet hoc tempore Hispania has Vniuer
sitates opulentia & professorum eruditione cele
bres.

- 1 Salmanticensem.
- 2 Complutensem.
- 3 Colim briensem.
- 4 Pincianensem.
- 5 Siguntinensem.
- 6 Oscensem.
- 7 Ilerdensem.

Quibus uiris doctrina præclaris Hispa
nia quoq; fulget, accipe:
Fronto Præsul & Martyr.
Fulgentius Præsul & Martyr.
Audentius Præsul;
Ioannes Præsul.
Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis.
Sanctus Leander Archiepiscopus Hispalensis.
Colimpius Præsul.
Pacianus Barchinonensis Episcopus.
Paulinus Præsul.
Sanctus Victor Præsul.
Vilerius Præsul.
Antonius Præsul.

San

H I S P A N I A.

Sanctus Vincentius Martyr.

Zoilus Martyr.

Sanctus Dominicus Calaguritanus, ordinis
prædicatorum autor.

Matorianus vir præclare doctus:

Auitus presbyter.

Sanctus Illefonsus Archiepiscopus Toletanus

Sanctus Julianus Archicpiscopus Toletanus,
cuius meminit Magister Sententiarum lib. 4.

Sanctus Antonius Vlyssipponensis, qui Pa-
duanus dicitur.

**Paulus Episcopus Burgensis vir præclare do-
ctus, & Iudæus natione, sponteç Chri-
stianus factus, scripsit non pauca Theolo-
gica, nec indocta.**

**Tostatus Episcopus Ebulen sis, scripsit in no-
uum & uetus instrumentum.**

**Rabbi Abenezra doctissimus Iudæus, ma-
gnus Theologus.**

**Rabbi Moyses Iudæus Theologus & Medi-
cus insignis.**

Rabbi David Chimhi, insignis Theologus.

Moyses Cordubensis Theologus Iudæus.

Rabbi Camora Theologus.

Hugo de Folieto.

**Arnoldus de Villa nova, Raimundi Luli pre-
ceptor.**

Raimundus Lulus.

Aqui-

Y ï

DAMIANI A GOES

Aquilius Seuerus.
Gualterus.
Ioannes Toletanus.
Iouentius Cardinalis.
Vincentius Monachus.
Duo fratres Coroneles, insignes Theologi.
Franciscus Ximenus, Cardinalis, qui Academiam Complutensem instituit.
Sotion Philosophus Peripateticus.
Auicenna medicus praeclarus & philosophus.
Auerrois quoque Medicus & Philosophus.
Rasis Almançor.
Mesalac Medicus Astrologus.
Habramus Astrologus.
Albumazar Astrologus.
Cacutus Iudaeus Lusitanus, magnus Astrologus.
Fortunius Gratianus, Jurisconsultus, cuius opera rara, sed absolute scripta extant.
Alfonsus Rex Castellæ, huius nominis decimus, Romanorumque Imperator, magnus Astrologus.
Henricus Infans Portugalliae Mathematicus, insignis, qui primo nouas terras suo studio & industria reperit.
Seneca Orator magnus, & Philosophus stolidus.

An

H I S P A N I A:

Anneus Gallion Seneca, Senecæ frater.

Lucius Anneus Seneca Tragicus, Annei Gallionis Senecæ filius, Senecæq; oratoris nepos: Columella.

Dexter.

Theodosius Cæsariensis.

Iulius Higinius.

Portius Latro, Orator insignis.

Lentus Cornelius, præfectus Cæsaris.

Paulus Orosius.

Quintilianus Orator insignis.

Pomponius Mela.

Iustinus historicus.

Lucius Latianus Orator.

Seuerius;

Silius Italicus;

(cus)

Henricus Marchio de Villena, magnus magi-

Ioannes Ludouicus Viues Valentinus, orator.

Damasus Pontifex maximus, insignis Poeta.

Aurelius Prudentius Poeta.

Iuuencus Poeta.

Arator Poeta.

Sedulius Poeta.

M. Anneus Lucanus, L. Annei Melæ filius,
qui Mela frater Senecæ & Gallionis fuit.

M. Valerius Martialis.

Sextilius Hena Poeta.

Ruffus

DAMIANI A GOES

Ruffus Festus Anienus Poeta.

Dec. Iunius Iuuenalis, oriundus ex Aquino
Volscorum.

D. Georgius Manrique poeta insignis.

Henricus Caiadus Poeta Lusitanus & Mene-
suis, de quibus Erasmus in suo Ciceroniano me-
minit.

Laurentius a Caçeres Lusitanus, Poeta & vir
non uulgariter eruditus

Ioannes de Mena poeta.

C. Iulius Higinius Augustilibertus, Gramma-
ticus insignis.

Antonius Nebrissensis eximus Grammaticus
& uariæ eruditionis vir, ut Erasmus in
suo Ciceroniano testatur.

D. Garsias Lasso a Veza poeta insignis.
Alfonsus Viruesius Episcopus Canariensis,
Theologus insignis.

Gomeffius peritus iuris, scripsit super Instituta
Hi omnes præter alias nonnullos, quos,
cum adhuc uiuant, silentio prætero, Hispani
fuere. ex quo apparet nostrates non tam infoeli-
citer discere, nec uerbositate & simulatione sapi-
entiam ostentare, uel tam multis nominibus
& consuetudinibus barbariem colere, quam
Munsterus in suo novo Ptolemæo prædicat,
ubi ad imitationem cuiusdam Michaelis Villa
nouas

H I S P A N I A.

nouani, hominis mihi incogniti, & hac in re nō
mediocriter lapsi, Hispanorum & Gallo-
rum comparationem induxit, puto eum cum
Basileæ profiteatur, Gallis, ad quos reliqua Ba-
silea spectat, excepta tertia ferme parte, qua se-
cundum Rhenum Germaniæ adhæret, potius
q̄ Hispanis ad blandiri voluisse. quamobrem
ut doceat ita esse, quod dicit, opus est, ut nobis
depromat uel unum Senecam, Quintilianum,
Portium Latronem, Auicennam, Lucanum,
Prudentium, Iustinum, Columellā, Orosium,
Melam, Silium, Martialem, Iuuenalem, & a-
lios istis similes, & tum damnet Hispanicam in-
dolem, eamq̄ Gallicis & Germanicis ingenij
postponat: quod si nec Germani, nec Galli
istos, quos supra recitaui, viros adēquent (Era-
sum & Budæum excipio) quid est, quod con-
uicium nostræ genti de stupore faciat? Fateor
aliud sæculum, alio florētius, nec nunc esse lau-
dem eam eruditioñis q̄e olim Hispaniæ fuit,
non tamen bruta est illa terra q̄e talia ingenia
produxit, nec quia aliquādiu talia non produ-
xit, in omne æuum effœta habenda est. Quod
si nunc non tot chartas oblinunt Hispani, quoct
nonnulli faciunt, nec edendis alienis libris pla-
gium committunt, nihilo deteriores illis, qui se-
furtis librorum uendant, existimandi sunt.

Edunt

DAMIANI A GOES

Edunt fortasse Hispani pauca , sed edunt sua,
nec falsarij hac in parte, nec fures . estque nobis
ista modesta scribendi ratio cum Italìs commu-
nis. Non incesso ullam gentem, quorundam ui-
tia tantum attingo , & qui de uitj̄ suis , genti-
suæ gloriā, alijs nationibus probrum concin-
nant. Habuit hac tempestate Gallia Bud̄cum,
& Fabrum Stapulēsem, & alios viros doctos,
sed habuit. Conuixerunt etiam istis nonnulli
Hispani illorum eruditione non plane inferio-
res, quorum nomina cū cognita sint, prætereo.
Habuit quoq; Germania Erasmus, sed habu-

Lögoliū ut ex it, habuit Longoliū, ambos Bathauos, quam
quadam epistō: prouinciam uonnulli nec in Germania, nec in
la Erasmi ad Gallia constituunt. Sed sic Germaniæ uel Gal-
buc nostrū Da liæ, fuerunt isti viři ornamēta incomparabilia
mianum a Goes suarum gentium, sed fuerunt, ita nobis quoq;
apparet, purus, purus Hollādus Quintiliani , Senecæ, alijque innumeri fuere.
est Schonowicæ Preteriti temporis est, quod utrobicq; pro glo-
natis. ria iactatur, nisi nobis allegent Philippum Me-
lanchthonem, columē Germaniæ. Fateor eum
hoc tempore cum illis antiquis Hispanis in ha-
renam descendere potuisse, si se Theologie , ac
fidei negotijs non implicuisset, quibus dum in-
cumbit , contabescunt studia illa , ob quæ no-
stro quo inclinatuit. Nec defuissent Hispaniæ ab
hinc annis plus mille preclara illa ingenia, que
semper

H I S P A N I A.

semper enutrire solita fuit illa prouincia, si a Gothis, Alanis, Saracenisq; incultis hominibus, ab omnib; genere disciplinarum abhorrentibus, non fuisset tam diu occupata . nunc uero hac barbarie utcunque expulsa , non dubitet Munsterus, quin Hispani posthac , ad laudem eruditionis non segni gressu sint progressuri.

Index Ducum Hispaniæ.

Veriatus Lusitanorum Dux, cuius facino*ra* Romanorum historiæ late prædicant.

Megara Dux Numantinorum, Romano*rum temporibus* præclarus, ut testatur L. Florus lib. 2. cap. 18.

Rex Pelaius qui ob uitæ sanctitatem Dei miles uocabatur. Is enim Hispaniæ Cantabri*cam* a Maurorū incursionibus immunem fecit, eosq; ex regno Leonis ciuitate accepta expulit.

Bernardus a Carpe, Dux præclarus & vir eximius, qui Carolum magnum Imperatorem & duodecim Franciæ Patres apud Roncesvalles deuicit , quanq; Gallorum Annales Hispanis hanc uictoriā denegent.

Ferdinandus Gonçalues, Comes Castellæ eius quo*n* regnum est , & antiqua Castella uocatur, in cuius historia late patet, quant*e* virutis vir fucrit, atq; filius eius Gartias Ferdinandus & Santius nepos.

Z

Rode

DAMIANI A GOES

Rodericus Diaz de Biuar cognomento
Gid, qui bonam partem Hispaniarū ex tyran-
nide Maurorum liberauit, cuius nomen inter
Mauros terribile, & magnæ uenerationis fuit.

Ferdinandus cognomento Sanctus, Rex
Castellę, qui ex Vaudalucia, mira uirtute Mau-
ros fugauit, prouinciamq; sibi obtinuit.

Jacobus Rex Aragoniæ, qui regnum Va-
lentiæ & Baleares insulas a tyrannide Mau-
rorum liberauit:

Alfonsus primus Rex Lusitanię, qui ex to-
to ferme regno Mauros expūlit, cuius gesta ma-
gis uidentur diuina, q; humana.

Ioannes huius nominis primus, Rex Lusi-
tanię, qui cū inops & abiectus esset, propria
arte & uirtute, Castellanis, maioreq; parte Lu-
sitanorum etiam reluctante, totum regnum si-
bi uendicauit.

Comes Nonius Aluarez Pereira Lusita-
nus, qui Regis istius temporibus uixit, cuius
insignia gesta historiæ nostræ late prædicant,
uir sane magnanimus, & supra hominum ui-
res in bello strenuus, ex quo duces Brigantia
originem suam ducunt.

Ferdinandus infans Castellæ, qui postea
suit electus Rex Aragoniæ, qui miras victo-
rias contra Mauros in ipsa Hispania obtinuit,
ut

H I S P A N I A.

ut testantur historiæ.

D. Frãscus ab Almeida Lusitanus, qui ingenti classe Babyloniæ Sultanî, atq; multorum Indiae orientalis Regum devicta, Turcas ex ipsa India expulit, cuius Ludouicus Ro. in suo itinerario amplam facit mentionem.

Alfonsus de Albuquerque Lusitanus, qui ferme totam Orientalem Indiam sub imperium nostrum reduxit.

Ferdinandus a Vallo, Marchio de Pesca ra, qui Gallos apud Ticinum debellavit, eosq; ex Italia fugauit, quo in prelio Franciscus Gal lorum Rex interceptus fuit, & in Hispaniam captiivus adductus.

Ferdinandus Cortesius, Marchio de Val le, qui in Indijs occidentalibus magnam Te mystitam ciuitatem & regnum, non sine incre dibili admiratione Regno Castellæ edomuit.

Franciscus Picarrus, qui in ipsis Indijs occidentalibus Imperatorem Atabalipam de vicit, & supplicio tradidit. eiusq; ditiones atq; aliorum principum, sub Castellæ imperium redigit.

Antonius a Leiua, vir preclarus, qui arte & uirtute, Italos saepe armis superauit, & pondus tuendi, contra ipsorum Italorum ac Gallorum potentiam, Mediolanensem Duca-

Z ij cum

DAMIANI A GOES

tum ad extrema usque suspiria sustinere ualuit;

Antonius a Sylveira Lusitanus, qui postremo apud Dium Turcas ex India orientali iterum profligauit, & magnū Caimbaiae regnum Lusitanis subiecit.

Gonçallus Ferdinandus Cordubensis, qui regnum Neapolitanū nostris temporibus edomuit, idque sub imperium Hispaniarū rededit.

Eduardus Pachecus, vir Lusitanus, qui aduersus Regis Calecutij potentiam prolixum cruentumque bellum gessit, in quo diuersas & incerdibiles uictorias obtinens, ipsum regem fuga fuitem petere coegit.

Habuit & habet Hispania alios præclaros Duces, quos prætermitto, & hos tantum, qui uirtute cum Cæfare & Alexandro certare possint, pono.

Videtur etiam Hannibal potius Hispanus que Poenus fuisse, si Floro fides aliqua est, cum libro 2. cap. 6. afferat ipsum Hannibalem alitum, educatum, & enutritum fuisse in Hispania.

IMPERATORES GESTIS præclari, nati & oriundi Hispani.

Vespasianus,

Titus

H I S P A N I A.

Titus Vespasianus.

Nerua.

Traianus.

Adrianus.

M. Antonius philosophus.

Theodosius Magnus.

Arcadius.

Honorius.

Theodosius Minor.

***Alfonsus huius nominis decimus rex Castellæ.**

Maximilianus.

Carolus Quintus Rex Castellæ.

Ferdinandus infans Castellæ.

P O N T I F I C E S Hispani.

Damasus historicus scriptor & poeta.

Ioannes 21. medicus insignis, Lusitanus.

Benedictus 13. doctissimus vir.

Calixtus 3. Iuris prudentiæ peritissimus.

Alexander sextus.

Vernacula, quæ nostra tempestate ex Hispania in Galliam, & alias prouincias adferuntur, hæc sunt, nec scitu indigna, preter nō pauca, quæ cum in ipsa prouincia his temporibus

ab

DAMIANI A GOES

absumentur, utputa frumentum , argentum, cuprum, plumbum, glastum, rubia tinctorum, gosipium , & multa alia, uel quod magni momenti non sint, in ipso catalogo referre nolumus.

Vehuntur nauigio Brugas ciuitatem Galliae Belgicæ, singulis annis quadraginta millia lanæ sarcinarum, quas saquas vocant, quarum unaqueç ut minimum pretium uiginti duorum aureorum uel equat, uel superat.

In Italiam quoç ac in alias Galliæ ciuitates, uiginti ferme millia sarcinarum uehundatur, quarum quæ in Italia consumuntur, quod selectioris lanæ sint, quadraginta, quinquaginta ducatis aureis singulæ venduntur.

Sericum & panni serici, quæ tam in Galliam, quam in Italiam, Angliam, aliasç provincias uehuntur, precio innumerabili constant.

Deferuntur etiam, ut summatim dicam, ex Hispania in Galliam Belgicam, & alias provincias uina multorum generum.

Oleum.

Saccarum.

Cera.

Mel.

Oriza;

Crocum

H I S P A N I A.

Crocum.
Vux passæ.
Ficus passæ.
Sal.
Alumen.
Murex, siue purpura.
Coccum.
Smegma, siue sapo.
Mala Medica, siue aurea.
Mala Citria.
Mala Granata, siue punica.
Cydonites, siue (ut barbare dicitur) codi-
gnatum.
Oliuæ conditæ:
Limones.
Capparæ.
Pruna passa.
Amygdala.
Pinei.
Castaneæ.
Glycyrrhiza.
Anilum,
Caruis.
Anethum.
Cuminum.
Corianon siue coriandrum;
Thynni saliti.

Balenæ

DAMIANI A GOES

Balenæ salite, atq; earundem oleum.
Suberum codex.
Gallæ.
Bacca laurina.
Hyacinthi.
Gagates.
Hiaaspis.
Alabastrum.
Corallum.
Coria hircina:
Spartum
Pelles multorum animalium, ad uestes
suffulciendas.
Aurum.
Ferrum.
Calybs.
Stannum.
Minium.
Argentum ciuum.
Fructus quoq; diuersorum generum, fac
caro conditi.

H I S P A N I A.
PRO HISPANIA ADVER
sus Munsterum defensio:

Xhoc charissime Nanni, uidere est, Hispaniae fertilitatem, quam hisce uerbis Munsterus egregius Michaelis Villanouani imitator, ad Galliae comparationem ita describit. qua in re facit, ut suspecti iudices, inuidia uel muneribus, uel odio obcecati, soliti facere sunt, qui uera cum intelligent, falsa tamen pronuntiant, dum inquit in suo Ptolemæo, ut eius uerba referā, Mercatores ex Hispania, in Galliam deferunt sericum, & omnis generis pannos, lanas, crocum, saccarum, orizan, oleum, alumem, grana tinctorum, &c. Ex Gallia in Hispaniam frumentum, lineas telas, filum, pastel, libros, & minutiora alia mercimonia plurima, ut gladios, specula, acus. Concedamus Galliam mittere frumentum, (quanquā id raro contingat) cum potius id Germaniæ orientali debeat, cuius frumentum nauibus Bathauorum ad litorealem Hispaniam, eamq; oceano attiguā subuenitur, hi enim inuestitia annona ab hinc annis 25. plus minus usi sunt. Ad mediterranea Hispaniæ exoticum frumentum non pertinet, certe pro singulis culeis ex Gallia, singulæ Holcades frumento onustæ ex Hollandia appulerūt.

a

T a

DAMIANI A GOES

Tamen demus hoc Munstero & præceptorio suo Villanouano ut uera sint, quæ dicunt, quid an non ex ipsorum uerbis apparet, Hispaniam Gallię plus impertire, q̄ Galliam Hispanię: Miror autem, cur dum agrorum fertilitatem utriuscq; prouinciae, inter se confert Munsterus, asseuerat Hispaniam uini, frumenti, & carniū copia a Gallia uinci. Vbiq; ut de hac Galliæ ubertate disceptemus, auditum est, aut usum ex Gallia in Hispaniam uinum deportatum esse, nisi forte ad confinia Cantabrigie, & id raro, quippe cum n̄ magis amplectuntur Hispnicum, etiam dilutum, q̄ Gallicum merum. Prodeat nunc Gallia Belgica, ac Anglia, Irlandia & Scotia, simul cum Noruegia, Dacia, Suetia, Moschouia, Russa, Liuonia, Lituania, Prusia, ac tota Orientalis Germania, necnon Hollandia, & testentur quid uini Hispanici in ipsarum finibus absuntatur. Deinde si iam ex Gallia in Hispaniam frumentum, ut uult Munsterus, inuehitur, id non ex nativa malignitate soli, sed ex aspectu, ut aiunt, astrorum accidit, quæ hostiliter ab anno 1516. ad hūc usq; diem, morbis, cædibus, calamitatibus, prouinciam afflixerunt, alioqui fertilis est Hispania, ut testum antiqui scriptores reliquerunt. Et ubi hæc fœnities syderum mitigata fuerit, petent a nos
bis

H I S P A N I A.

bis Galli frumentum, ut antea soliti fuerunt fa-
cere. Hoc credo ignorasse Munsterum, Gallos
a nostris crebrius, q̄ nos ab ipsis olim frumen-
tum expetisse. Nec hoc tempore peregrino fru-
mento indigeremus, si omnes (ut in Gallia &
alijs provincijs fit) Hispaniæ partes quæ coli
possunt, colerentur, cuius enim ubertas tanta
est, uti maiori anni circulo mediastini atq; ple-
bei homines, ex sylvestribus fructibus, melle,
herbisque laute uictitare possint, q̄e res eos
parum ad agriculturam propensos efficit. Ac-
cedunt ad hoc nouæ Orientalium, Occidenta-
liumque Indiarum nauigationes, continuum
quocq; bellum Africanum, atq; Italicum, quæ
nostrí magis amplectuntur, q̄ aratri labores.
unde euenit non solum apud nos agriculturam
negligi, sed etiam metalla, quorum uenis ad-
huc Hispania abundantissime ornatur, ex ui-
sceribus terræ non effodi. Cætera quæ Galliæ
sunt, veluti lineæ, telæ, filum, glastum, facile
iudicabis an ea tanti sint, ut cum Hispánicis fru-
gibus conferri possent, quamquam maior pars
telarum & fili canabacæi, quæ in Hispaniam
apportantur, Bathauiæ solum producat.

Quod ad carnes autem spectat, uerius ipsa ue-
ritate est, non tantum in Galliam ex Hispania
boves, sed magnam quoq; mulorum copiam

a ij edu

DAMIANI A GOES

educi, equos etiam, sed furtim, ob Regum edita. Reliqua autem que sequuntur, futilia sunt, indignaque tanta comparatione. Nec hoc contentus Munsterus, ut per omnia suum auctore Vil lanouanum sequeretur, stomachū in Hispanos euomuit, credo re uera, eum nonnunquam ab aliquo Hispanorum iniuria aliqua laceratum fuisse, cum sic in eos uerbis debacchetur. Ait enim, frugalis uitę Hispani, sicut & Italici etiam Italos noluit immunes a suo temerario iudicio) nec tantum cibi & potus, ut Galli & Germani absumentes, nisi sint inuitati, nam tunc se ad saturitatem explet edulii, quia rara eis & maiore auiditate accidunt conuiua. Elegans scom ma, & dignum quod topographijs prouinciarum inferatur, quasi Gallorum & Germanorū conuiua splendida plane, & opipera sint habenda. satis ibi ciborum & potus, sed externi homines non de copia conqueri solent, sed de lautitia & elegantia. Sed sinamus unumquemque partio more uiuere, atrum panem, stipulis, furfuribusque una pistis commixtum, foetidam cereui siam, carnesque salitas, ter quaterque recoctas, alesque sibi, suisque familiaribus administrare, uel aquam & herbarum placentas. Quod si de numero conuiuiorum disputandum est, uincunt Germani & Galli. Si de magnificentia, splendo

H I S P A N I A.

dore, lautitia, elegantia, multis modis Galli & Germani ab Italib & Hispanis uincuntur. Cæterum laudes conuiuorum si quæ sunt, non ab Hispanis Hispaniæ, nec a Germanis Germaniæ uindicande sunt. sed id iudicium exteris hominibus committendum est, exitus certe & finis conuiuorum honestior in Italib & Hispanis, quum Germani & Galli eo animo conuiuia aggrediantur, ut uino se adimpleant, refarciantq; quo feruente animus, sensus, iudicium, ratio, ruerentia, grauitas, sedulitas, prudentia, & alia multa amittuntur, iniuriæ, caedes, luxus, stu-
pra, clandestinæ locutiones, consiliorum Principum, amicorūq; effutitiones, uulnera, plage, insidiæ, proditiones, aliaq; infinita perpetrantur. Itali & Hispani contra, sic ad conuiuia se ornant, uti bene saturi, & cibis referti, a mensa discedant. Hic tametsi corporis salus repletione grauetur, animus tamen & ratio, ut accidit in ebris, minime leditur. Ita sit ut qui uinum intemperanter ingurgitant, animum, conscientiā, corpus, honorem, uitam labe tingant. Qui autem cibi uoraces sunt, corporis tātum saluti non sunt. Istis perpensis, iudicet æquus æstimator, penes quos laus istius rei consistere debeat. Nec mihi deo ista dicta sunt, quod magni esse momenti putem hac in parte, uel uinci, uel uincere,

DAMIANI A GOES

cere, sed quod ferre non potui, Hispanos tanque
famelicos & coenipetas, nunque nisi de alieno satu-
ros a Munstero describi. Nec mea dicta a Mun-
stero accipi uolo, ueluti recriminationem, sed ad
monitionem, ut cautius post hac & syncerius in
suis scriptis agat, uirum enim eum bonum scio,
& aliquo usu familiaritatis mihi cognitum ha-
beo. Nec pretterendum puto id, quod deinceps
idem dicit, cum re non intellecta, multorum etiam
sit opinio, quod duriter & inciviliter apud Hi-
spanos aduen*ē* excipientur, adeo, ut itinere de-
fessi, cibum sibi uicatum querere cogantur. Res
sic se habet. Olim pandochei Hispaniæ, ad quos
uiatores tam peregrini, quia incolæ diuertere sole-
bant, fures atque latrones erant, sicut Germaniæ,
Galliarum & prouinciarum hodierna die
non pauci sunt, quales si non essent, non tam su-
bito in immensum ditescerent. Hec perpenden-
tes catholici Ferdinandus & Elizabeth Castel-
lae & Aragoniæ Reges, lege sanxerunt, sub ma-
gna mulcta, ne quis cauponum, pandocheo-
rumque quicque preter domesticum seruitium, &
cibi coquendi operam aduenientibus preberet.
Pro equis autem, hordeum, avenam, foenum,
stramen tantum uenderet, quarum rerum pre-
cium, publica aestimatione ipsis foribus diuer-
soriorum inscriptum est, ita ut barbarissimus,
&

H I S P A N I A.

& simplex homo cuiuscumque nationis, facile intel ligat, quid pro domestico seruitio, quid pro equorum alimento, sine aliqua licitatione ho spiti dandum sit. Hospes preterea tenetur cum aduena in forum, & ad propolas procedere, uel aliquem ex suis eo mittere, cuius opera uta tur externus in eduliorum emptione, quæ empta in diuersorio parantur, parataque ipsis, strata mensa apponuntur. sic fit ut discedente adue na, nihil rixarum oriatur, nihil ei auferatur, nihil extorqueatur, cum ipse met cibos sibi emat, sibique ex tabulis diuersorio affixis constet, quid hospiti annumerandum sit. Hæc autem in ciuitatibus & oppidis tantum fiunt, in pagis & villis, ubi propolæ desunt, licet pandocheis edulia uendere pro arbitrio, cetera ex tabularum tessera indicantur. Hæc immanitas non tam fera uidetur, q̄ a Munstero depingitur. Deinde si ad humanitatem Italorum Hispanorumque respicias, hæc inuenies, cum ad eorum ciuitates ueneris. Amicitia contracta, officium suum unusquisque gratis offeret. quicquid dignum uisu sit, ostendet circumspectis, uisusque omnibus, te ipsi in hospitium tuum deduent. At si quenquam illorum, dum gratus es se cupis, in prandio, uel in coena retinere uolueris, uix ab eis illud impetrabis, id praecauentibus

DAMIANI A GOES

tibus ipsis, ne homini peregrino, & sumptui, & molestiae sint. tandem ex uiginti, si tot comites habueris, uix unū aut alterum retinebis, nec id efficies, donec clare intelligat ex animo, & non sicut eos tibi conuiuas uelle. Galli contra & Germani, ut uerum est, & experti sumus huma nissimi in peregrinos sunt. quicquid uisendum in suis ciuitatibus habent, ostendunt, omnesq; officium benigne exhibit. Sed peractis spectaculis, ubi diuersorum repetis, siue frigide, siue ardenter ipsos inuitas, faciles eos habes, nec opus est magna contentione precum, idq; laudo, est enim illud ingenuq; cuiusdā & candidē similitatis, nihil fictum existimare in uerbis in uitatoris. sed sunt nonnulli improbiores, qui se ultro tuę mense ingerunt, idq; magno numero, quos antea nec noueras, uec uideras, hęq; nō quia amici sunt, sed se amicos aliquando futuros sperant, pro Pythagorica lege omnia futurorum amicorum cōmunia credunt, hoīes me hercle nō male ad uentrem philosophantes, Postremo in Italia, Hispaniaq; dum tēpla, arces, armamentaria, aedificia, huiusq; generis alia inspexeris, uel a domo amici alicuius tui, apud quem hospitabaris, discesseris, si custodibus, uel operarijs, aut amici famulis, aliquam gratuitam pecuniam dare coneris, efficies pro amico, ut inimicus abeas.

H I S P A N I A.

abeas. Tanta est eorum magnanimitas, ut pere
grinis hominibus, gratis officium suum exhibe
re contendant. Et si aliquando talia munera
istis accipere contingat, id ui coacti, & omni
no reluctantates faciunt. At Germaniae Gal
liae famuli arcium, armamentariorum, tem
plorumq; custodes multo contra, nulla huma
nitate nec decore seruato, non tantum non re
culant, quod facere non nouerunt, sed antea q
offerat, præbent ipsi manus, sic ut qui sub ar
cis præfecto meretur, ianitor, custos, pincerna,
pistor, lotrix, cocus, omnes demum quotquot
sunt, prædam inter se, anteq; des, calculis diui
dant. Parique modo in familijs amicorum fit,
a quibus enim amicis antea q discedas, omnes
famuli inter se computatione, lucrum aduen
tantis liberalitatis diuidunt. quæ res ita incre
buit, ut pro dedecore iam non habeatur.

Ad istum modum humanitate, urbanitateq;
hæ nationes differunt. Nunc iudicet
Munsterus, & ferat ipse sententiam, & dum
mores gentium scribere conatur, edat ea tan
tum, quæ ipse uiderit, & certissima habuerit.
Mutantur quotidie ciuitates, oppida, mores, ui
uendicq; hominum rationes, nec iam Germania
Galliacq; tales, quales nobis a Cælare depin
guntur, nec tam barbare sunt, quod idem æ
b stima

DAMIANI A GOES

stimare licet de cæteris nationibus. Quid enim
hoc tempore minus uerum, quod olim uerissi-
mum fuit, mercaturam Germanos ob ferocita-
tem non exercere, cum hoc tēpore nullibi magis
Mercurius colatur. Aut eis Solem, Vulcanum
& Lunam deos asscribere, eisdemq; ad annum
uigesimū usq; pubertatē inuiolatam esse. Non
ne si quis id dicat, uaniora dixerit, quam si quis
etiamnum Druides adhuc apud Gallos sacrifi-
cia administrare, eosq; pro uictimis uel alios
homines, uel seipso immolare, aut Lusitanos
lineis thoracibus in bello uti, aut ex intestinis
captiuorum hominum, futura prædicere, uel
hordeaceum uinū bibere, & pro oleo butyrum
in coniuījs consanguineorum usurpare, cum
hæc oīa iam euauerint, & alia uiuendi ratio in-
troduced sit. Demum si Munsterus nouos no-
stri temporis hominum mores describere uelit,
inuisat prouincias ut ipsi fecimus, ac tunc ea
quæ experientia uiderit, scribat. quod si fecisset,
non oleo carere Baleares dixisset, non Hispaniā
sterilem, non eius incolas immanes, atq; in di-
scendo rudes, non Nerium promontorium Cel-
ticum uocasset, & in Algarbe, cum in Galitia
sit, pronunciasset, nec multa alia uana quæ præ-
termitto, suo Ptolemyo inseruisset. De his satis,
ne uidear incandescere, aut minutias rerum non
satis

H I S P A N I A.

satis minute tractare. Tamen sciat Mūsterus hanc ipsam Hispaniam, de qua nunc loquimur, eandem esse, quam ex omnibus prouincijs Cæsar ab initio quaesturæ suæ, semper chariorem & electiorem habuit, in qua nullo tempore, ob hominum magnanimitatem, & militaris disciplinæ industriam, Romani desierunt legiones habere, teste Hirco. Quam etiam Vespasianus tanti fecit, ut ei ius Latij tribuere non formida uerit. Hæc numero devicta a Romanis, ut Cicero de respõl. Aurusp. afferit, nunq̄ fuit, Sed pietate & religione, quam Romani tunc temporis sibi soli tribuebant. Huic ut cederet terra Cretensis, Louis incunabulis elata, Plinius Iunior in suo panegyrico uoluit, cuius inter alia hæc uerba sunt. Adde tot egregias ciuitates, adde culta inultaq; omnia, uel fructibus plena, uel gregibus, adde auriferorū opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poetarum auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula, quæ dū sint uera, sint singula, nec iam excutio ueritatem, sint ut scribitur Gargara prouentu lœta tritici, Meuania memoretur armēto. Campania censeatur monte Gargano, Lydia predicitur amne Pactolo, dū Hispaniæ uni quidquid laudatur assurgat. Hæc durissimos milites, hec

b ij

exper

DAMIANI A GOES

expertissimos duces, hæc facundissimos oratores, hæc clarissimos uates parit, hæc iudicum mater, hæc principū est, hæc Traianum illum, hæc deinceps Hadrianum misit imperio. Huic te debet imperium, cedat his terris terra Cretensis, parui Iouis gloriata cunabulis. De hac etiā maxima ductus admiratione Budæus lib. 4. de Asse, cum multorum antiquorum autoritates in mediū attulisset, ista loquitur, Ingenia sunt hæc testimonia de opulentia Hispaniæ. V Iterius ait. Multa adnotauimus, quæ fide caritura sunt, ut opinor, præsertim apud eos, qui oīa & præterita, & futura præsentis tēporis modulis metiūtur &c. Infinita enim sunt, quæ hic de laudibus Hispaniæ scribere potuisse, nisi timorem lectori molestam fore lectionis prolixitatem. Quod si quis latius intelligere cupuerit, legat id quod Posidonius, Polybius, Strabo, Iustinus, Solinus, uterque Plinius, Liuius, P. Velleius, Paterculus, Vegetius, Florus, Pomponius Mela, Stephanus de Viribibus, Philostratus, Diodorus Siculus, Martianus Capella, Cœlius de antiquitatibus, atque Budæus testatum de Hispania reliquerūt, apud quos & alios non nullos tales ipsius Hispaniæ laudes reperiet, ut facile iudicaturus sit nos de hac replura ueracq; dicere potuisse, quod & fecissimus, nisi obiectiones.

H I S P A N I A.

ctiones nimis in patriam amoris, a maleuolis &
infestis hominibus timuissemus.

¶ Ad uectitia que ex Asię, Africę, nouęq; ter-
re prouincijs, Regibus Castelle & Por-
tugallie subditis, que innumera sunt,
in Hispaniam aduehuntur, ac in-
de per totam Europam.

Primum in Castellam, ex nouis, uel occi-
dentalibus Indijs, Hispalim magna uis auri de-
portatur. Argentum.

Aurea uasa & argentea mira dexteritate opera-
ta. Vniones. Margaritę.

Smaragdi. Cyanos, uulgo Turquing.

Casia. Guaiacum lignum.

Dactyli.

Indidem ex insulis Canarię & alijs locis, facca-
rum, coria bubula & hircina, psitaci, simię, atq;
uestes pennis aujum miro artificio contextę,
& alia admiratione digna.

Que in Portugalliam ex prouincijs sibi
subditis aduehuntur hec sunt.

Singulis annis ex Nigritarum regnis de-
ducuntur Vlyssiponem: o. 12. millia manci
piorum, preter alia ex Mauritania, India, Br̄
siliacę aduecta, que singula passim decem, 20.

DAMIANI A GOES

40. 50. aureis ducatis uenduntur.

Præterea ex Nigritarum prouincia appor-
tatur magna auri copia. Gospium.

Ebur, ex eodemq; uasa non ineleganter excul-
pta, atq; imagines. Hebanum.

Mala Getulica, uulgo paradisi grana, seu mala
geta. Coria boum, hircorumq;.

Panni mira arte ex palmarum folijs contexti,
necnon ex Gospio.

Piper longum. Oriza.

Zibelli (ut uocant) musiones uel seles.

Dactyli palmarum.

Ex Brisilia, lignum quod Brisil uocatur, & ue-
stes auium pennis contextæ, aclecti peniles, ex
gospio, instar retium connodati, & faccarum
optimum.

Ex India Orientali & Cathaio.

Piperis annue tricies, quadragiesq; centena
millia pondo, cuius centum libræ uenduntur
Vlyssipone 34. ducatis, supra quartam ducati
partem, quæ summa minimum est, duodecim,
aut tredecim, aut quatuordecim cētenum mil-
lium aureorum ducatorum.

Zingiber.

Muscata mīristica, atq; eorum flores.

Cynamomum. Gariophyllum.

Reubar

H I S P A N I A.

Rerubarbasum.

Mirabulani omnium generum. Casia.

Dactyli Indici, siue Tamarindi, & omnia aromatum genera.

Crocum Indicum.

Lignum aloes.

Sandali rubri & albi.

Lacha. Hebanum.

Item gemmæ omnium generum preciosissime.

Vniones.

Vasa aurea & argentea, mira industria facta.

Panni serici, & aurei.

Tele Gossipinæ. Sericum.

Styrax siue styrace, storax uulgo.

Laserpitium, uulgo Belzoi.

Ambar, gris ut uocant.

Muschus.

Nuces Indicæ.

Scutellæ mira arte ex calce concharū fictæ,
quas porcellanas uocant, quarum nonnullæ pre
cio 50. & 60. & 100. ducatorum uenduntur, &
alia infinita apportantur, que ob prolixitatem
omitto.

Elephantes quoq; quinq; uel sex tempore
felicis Regis Emanuelis inde allati sunt, quo-
rum dum puer ipsius prudentissimi Regis ab
intimis cubiculis essem, treis simul uidi, atque

Rhinoce

DAMIANI A GOES

Rhinocerotem unum, qui omnes Regem ipsum equitantem præcedebant. Certamini etiam unius istorum Elephantum cum Rhinocerote, interfui, spectaculū sane admiratione dignum, in quo elephas succubuit. Quem Judum Rex ipse felicissimus Emanuel Vlyssipone præbuit Anno (si bene memini) 1515. uel 16.

Ex Insulis Madeira Hesperidum Sancti Thomæ, principis, atq; alijs magna saccari copia. Glastum quoq; & Gospium ac frumentum ex his insulis uehitur.

Ex Brisilia, ac Nigritarum prouincia psittacorum, cercopethicorum, simiarum, aliorūq; miraculorum, ingens turba apportatur.

Hæc sunt quæ de fertilitate, opibus, nobilitateq; Hispaniæ, a me Nanni doctissime scire petisti, quæ te uolente, iubenteq;, ea lege scripsi mus, ut omnibus ius faceremus castigandi, mutantandi, augendi, quod mirifice exoptamus, haud ignari, plurima esse a nobis omissa, quibus Hispania ornatur, & celebrari possit. Tu interim uiue, & uale, boniq; consule.

Louanij 12. Cal. Decemb. Anno

1541.

FINIS.

EPISTOLAE

SADOLETI, BEMBI, ET

aliorum clarissimorum virorum ad
Damianum a Goes Equi-
tem Lusitanum.



EPISTOLAE CLAR. VIRO.

Paulus Speratus Episcopus Prussic Po-
mezanieñ. Damiano a Goes Equiti Lusi-
tano S. P. D.

Velicabat mihi sub hesternam uesperam
nescio quis genius auriculā , quo primum
te aspexi Damiane a Goes, ex incognitis aman-
tissime, sed cui notior esse cuperem. Verū tem-
pori obsequendum. Tu arduis Regis tui nego-
tijs inhias ergo festinato abeundum tibi . pro-
inde alter ab altero diuidimur. Hoc tamen me
beat, quod in hac barbara terra semel hominem
uidi, qui hominis nomen p̄g barbaris istis me-
retur. Vale, me tuum esse finito, haec celeri
manu. Utinam Dominus sit dux & redux tuus
in patriam dulcem tuam. Iterum uale; 12. Se-
ptembris. Anno 1531.

Ludouicus Viues, Damiano Goesio
suo S.

Quod epistolæ tuæ nondum responde-
rim mi Damiane, non uoluntas in cau-
sa fuit, quæ est erga te, ut potuisti cognoscere,
profecto summa , sed ualentudo aduersa mea ,
quæ per ingentes dolores tum corporis, tum a-
nimí mei uires ualde afflixit , necq; nunc scribe-
rem, nisi uererer ne quid tu de immutata mea er-
ga te uoluntate secus suspicarere q̄ res habet,
&

AD DAMIAN. A GOES.

& ego vellem, cupio enim ut intelligas me in ratione ista amiciciæ paria tecum facere, & tanto pere amantem, non mediocriter redamare. Munus istud regium opto tibi felicissime evenire, ut in eo diutissime & cum summa grata, atq; animi tranquillitate uerseris. q; te scripturum ex patria recipis, rem utiq; feceris mihi multo gratissimam, iter tibi prosperū precor, fac quoq; fo, ut per occasionem Regi tuo, atq; adeo bene ficio illius in me, meo quoq; salutē dicas meis uerbis reuerentissime, atq; officiosiss. & gratias pro me agas de ampliss. congiario, quo me superiore anno prosecutus est, quod eo rerum me arum articulo contigit, ut non potuerit non & maximum, & multo iucundiss. uideri. Saluta bis item mihi D. Episcopum Vesuviensem. Hēdioni non rescribam nunc propter meam uale studinem, quin & multum deliberabo, quanto ac quemadmodum scribam, propter tempora & hominum suspiciones. Gratulor tibi profectum in literis, non possum mouere manū in scribendo. Vale Brugis 17. Iunij. 1533.

Bonifacius Amerbachius, Clarissimo ui-
ro Damiano a Goes.

Nihil est clarissime Damiane, quod pre sen-
ti exhibui. Quid enim potuisse non ni
c; ij si unum

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

Si unum diem hic agentis uerum quod hoc in tuis ad me literis officij titulo insignis, humanitatem tuam intelligo, ex pulice quod aiunt, elephantem facientem. cui sane sicubi mea opella quicq; præstare possum utroq; dignum, nihil pro uirili detrecto. De Hispano recte tenes. iam bis proscriptus, tertium redierat, aliquot mensibus in carceribus detentus ex situ & tenebris, nescio quid uitij dementiae contraxerat. Id ubi Magistratus resciuit, adhibito Medico, curatus est ex publico, & tandem rectius ualens dimissus. cogitabat is tum Italiam, uerum an in instituto perstiterit, nondū scire potui. Christophoro illi nomen erat, gentilitium ignoro. Literis si quas aliquando ad me scripsit, inter crucem ad pictam notas apophragmatis loco subiecibat S. M. S. C. H. vir nisi multum falso præter uitæ integratatem pius ac Reipub. Christianæ optime cupiens. Clarissime Damiane si quid præterea sit in quo tibi morigerari possum, me tuum esse scias, & quidem ex animo. Bene uale clarissime uir. Prepropere Basileæ Caled. Septemb. anno 1533.

Conradus Goclenius Damiano a
Goes. S. P.

S Icine tu mi Damiane humanissime, te proprie
ripis e Friburgo uelut canis e Nilo: & Era
smum

AD DAMIAN. A GOES.

sum nostrum, qui te non minore omnium disciplinarum cultu ornare potuit, q̄ ipse Nilus totam Aegyptum foecundat, tam repente defesere in animum inducis: præsertim cum sitim discendi nondum expleueris. Quid autem tota Italia tibi prestatre poterit, quod non multo cumulatius suppeditet unus Erasmus? Nec te aliud iudicare certo scio, ac animo sane q̄ dolente causam mutandæ sedis tibi iucundissime intellexi. Dij autem superi & inferi malis exemplis perdant illos crocodilos, hyenas, & aspides, qui virulentis linguis a tā optata conditione, quam per tot pericula petiuisti te extrudunt. Patauij neminem habeo, cui te uelim cōmēdare. Quod si apud Patauios te ulla commendatione indigere arbitraris, est tibi ad manum nostri seculi Liuius, qui te non solum Patauinis, sed quotquot sunt per uniuersum orbem, uiris doctis facile commendatissimum efficere possit. Porro gratiam habeo maximam, ac pro indubitato coniunctissimi animi interpretor arguento, quod me de rebus tuis omnibus certiorem reddere uoluisti. Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ. In ceteris non dubito, quin ita sis actemperaturus studia tua, ne de nihilo conditionem apud florentissimum Regem, ut uulgas putat beatissimam, & multis tam optatam philologię

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

giæ & sapientiæ amore deseruisse uidearis. Oro
que, ut si quando dabitur opportunitas, me etiā
de reliquo peregrinationis tuæ certiorem facias.
Item si quid boni habes de Resendio nostro, ni-
hil maiore cum uoluptate audiemus. Bene uale
Louaniæ 10. Iunij, Anno 1534.

Petrus Bembus Erasmo Roterodamo,

Binas a te literas accepi, alteras iampridem,
quibus mihi Frobeniorum curam & dili-
gentiam, tum uero etiam petitionem Liuijanis
libris imprimendis cōmendabas, ad quos cum
rescripsisse, (ad me enim scripserant) respon-
dere tuis literis distuli, proxime alteras, qua-
rum priore pagina te purgas de illa ipsa Frobe-
niorum commendatione tua. posteriore me ro-
gas, ut Damiano Lusitano Patavium uenienti
ad ludum literarum ne desim. Ego uero cum il-
lum libenter uidi, est enim quemadmodum scri-
bis, atq; ut ex duobus eius congressibus & ser-
monibus elicui, optimis moribus & omni ele-
gantia & suavitate sane præditus, itaq; lucrum
mihi uideor fecisse ex tuis literis, qui iuuenem
mirificum ut cognoscerem effecisti, tum me ei-
largiter obtuli, petijq; ut meis rebus omnibus
meq; ipso suo iure uteretur. Sed adhuc usus nō
est

A D D A M I A N . A G O E S .

est homo permodestus. Domum etiam conduxit me ignaro, sed domum plane bonam. De purgatione, quæ altera erat pars in tuis recētioribus literis, nihil dicam, nisi te nimis parce nimirū subtumide tibi ipsi de me polliceri. Velen fidentius atq; prolixius a me omnia expectares coniunctissimi hominis officia, utq; id in animum inducas tuum, magnopere abs te pecto. Frobenijs ut ad antiquiores tuas literas postremo respondeam, in eo quod petebant esse usui non potui. Necq; enim Liuianos libros habebamus ullos manu scriptos, qui non minus probi essent, q; ab Aldo impressi, qui sunt in omnium manibus. Sed de tota re non dubito, quin te illi certiore fecerint. Hęc scripsi manu mea, ut parte aliqua tibi uicē redderē, qui tuas ad me literas amātissime tua manu semper conficis. Valetudinem tuam, qua te audio admodum imbecilla uti, curabis diligenter, nosq; diliges. Vale 3. Id. Nouemb. 1534. Patauji.

Bonifacius Amerbachius Iurecons.

Damiano a Goes S. P.

Quod ad priores illas tuas literas non respōderim, nulla obliuione tui, sed nondiorum raritate factum est, ne quid tibi quoq; imputem, identidem locum mutanti. Equidem mi

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

mi generosiss. Damiane, eo in te sum animo quo
presenti fui præsens. Fui autem omnium deditis
simo, ac nihil æque atque tibi morigerari desidera-
te. Itaque si quid mea opera uelis, præsto est, o-
mnia uolo a me & postules & expectes, officijs
tuas etiam cogitationes uincere, pro uirili, para-
to. id quod tam tibi persuasum esse cupio quam quod
est persuasissimum. Parce si parcius tecum ago.
Scripsi hæc angustia temporis exclusus. Nam
dum Erasmus nostrum, nuper huc mecum ani-
mi causa profectum heri sub uesperam saluta-
re instituerem, a Gilberto tuæ in urbem profe-
ctionis, simul & nuncj cras mane istuc iter in-
gredientis admonitus sum. Volui occasione
commodum oblata, uel tribus uerbis te com-
pellare, cui de meliore nota etiam atque etiam com-
mendatus esse cupio. Bene uale uir clariss.
Pridie Cal. Augusti. Anno 1535. Basileæ.

Erasmus quatenus per ualetudinem licet,
totus est in Cöcionatore absoluendo, quem
nobis proxim. Septemb. typis Frobenia-
nis procusum dabit:

Conradus Goclenius Damiano a Goes
S. P. D.

Tuis literis mihi Damiane, nihil potuit neque
optabilius neque iucundius accidere, quæ
ueluti oculis subiecerunt, mihi iam olim perspe-
ctum

AD DAMIAN. A GOES.

Etum animi tui candorem , quo haud scio an unq̄ in uita repererim quicquam magis exoscu-
landum. Verum illud unum mihi fuit acerbissi-
mum, quod tibi rem honestissimam postulan-
ti obsecundare ac morem gerere non potui, cum
nulli mortalium eque cupiam gratificari , uel
potius pro ingētibus beneficijs referre gratiam,
q̄ uni tibi, cuius amicitiam inter prima bona so-
leo commemorare. Obstant pacta nobis a pri-
mordio cum Academia inita , quibus certus
numerus conuictorum prescribitur, quem egre-
di nobis nullo modo licet. Franciscus autem
Houerus ad Barlandum q̄ ad R̄utgerum no-
strum uidebatur propensior, posteaq̄ apud nos
non erat locus, in qua re non habui cur illi re-
pugnarem, præsertim cum diceret se agere e tuo
præscripto. Accersam interim aliquoties tuum
nepotem ad me, ut videam quid promoueat in
literis, additis calcariis si uideatur indigere,
quancq̄ in ea re Barlādum suo officio reor non
defuturum, ego tamen nullam occasionem de-
clarandi gratissimi animi mihi omittendam ex-
istimo. Id quod cumulatissime intelliges si quid
unq̄ a me petas quod in meo ueretur foro.
Splinthero & Politæ conuictum tuum ex ani-
mo gratulor, ὡς ἀνεὶ τὸ πόλιον ἀγράθεος ὡς ἔμπορον.
Tua grauitate, modestia, ac singulari pruden-

d

tia

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

tia spero illis non mediocre incrementum ad naturæ industriæq; studiū, quo ad optima quæq; contendunt, tua consuetudine & exemplo accessurum. Si tantum spatiū dabit nūcius, scribam etiam ad illos, si minus, tu obsecro in amicis salutandis mihi esto loco epistole, ac feliciter uale. Louanij Iulij 12. Anno 1536.

Jacobus Cardinalis Sadoletus, Damianoa Goes S. P. D.

Petrus Bohemus præstanti uir & nobilitate & doctrina, idemq; & morum & partium optimarum, cum aliquot horas fuissest mecum, multa de te mihi narrauit, quæ ego mediis fidius cognouisse gaudeo, nō enim ulla oratio meis auribus est iucundior, q; quæ absentium uirtutibus laudis testimonium dat, quod ille sane apte atq; constanter apud me de te fecit. Nā & de ingenio, decq; nobilitate tua, nec non de studijs artium optimarum, de rerū usu, de prudenter, de humanitate sic copiose locutus est, ut non solum fidē mihi fecerit eius prædicatio plena auctoritatis, sed me in amorem quoq; tui compulerit. Itaq; illi ad uos redeundi nihil ad te dare literarum nō potui, hac tantum de causa, ut scires quod minime forte expectabas, me te in scio & inopinatè factum esse tuum. Ac nos ter quidem amor hoc initio ingressus, futurus etiam

AD DAMIAN. A GOES.

etiam est par inter nos & mutuus, non enim dif-
fido gratam hanc tibi meam uoluntatem fu-
ram, Sed quæ inter nos sumus collocuti uaria
& multa, spectantia ad communem (ut ego ar-
bitror) utilitatem. Petrus ipse ita tibi commu-
nicabit, ut tuum quoq; ad ea conficienda & pro-
mouēda meis uerbis requirat auxilium. In quo
rogo te mi Damiane, ut te ardentem prōptum
que exhibeas, conferasq; te in eā curam, ut Chri-
stianę afflīctę periclitantę Reip. aliquid a no-
bis priuati auxiliū, quādo adhuc publica defun-
tum remedia, afferatur. Non te fugit pro sapientia
tua, hanc unam esse actionem hoc tempore ma-
gno uiro dignam. Quid est autem quod nobis
tantopere debeat esse propositum, q̄ dignitas
quę a nobis uel uitę iactura retinenda est. una
porro illa ratio dignitatis solida est, quæ Deū
secum & Christianam habet pietatem coniun-
ctam. Sed ne multa, Petrum ipsum audies mea
tibi consilia & cogitata explicantem, meq; mu-
tuō amabis, Vale. Romæ 15. Cal. Iulij. 1537.

Damianus a Goes Iacobo Sadoleto Cardi-
nali S. P.

P Etrus Bechimius uir antiquę nobilitatis e-
regno Bohemię atq; inuolate fidei tuas ad
me uigilantissime Presul literas pertulit, qui-
bus & si antea quidem semper ab initio mores
d ij doctris

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

doctrinamq; tuam, ex quo liberalibus studijs
natu grandis admodum (prout fors mea atq;
aulica negocia permiserunt) incubere coepi, ma-
xime amplexus sum, tamen nunc certe cū mi-
hi homini tibi nomine tenus tantum cognito,
ultra literas dare dignatus sis, magis magisq;
me in amorem tuum non modo conieciisti, ue-
rum plane etiam deuinctum reddidisti. Quod
sane genus humanitatis usque adeo a nostra iam
pridem Republica Christiana profligatum est,
ut permultos etiam uidere liceat ex eorum nu-
mero, qui se Christi ecclesiæ columnas prædicat
ac protectores, qui neminē, infra se humili for-
tunę loco constitutum, admittant, nisi precibus
impulsi fuerint aut lucro seruitij extimulati.
Quem errorem exemplo splendoreq; uitę tuę
spero tandem ab illis tanq; in speculo tuam Chri-
sti imitationem contemplantibus propediem la-
befactatum iri. Quamobrem te oro, ut ab ince-
pto ne desistas, tuoq; tā pio ac sacrosancto pro-
posito felicem exitum ac finem imponere digne-
ris. Quod si feceris, proculdubio nobis eris ma-
ximæ spei aduentantis Reipublicæ salutis. Sed
ne forte hic adulatiois nota insimulari queam,
a qua semper natura abhorui maxime, relicto
in medium præfationis longioris exordio ad
tuam epistolam me couertam. Postulas implo-
rasq;

AD DAMIAN. A GOES.

raſcꝝ auxilium Christianæ Reip. a me homine tanto oneri impare, honoreꝝ indigno, utpote quando publica desunt remedia, nos illi phar-maco priuato subueniamus. Evidem preſtan-tissime Præſul, quanq̄ ex regia Principis mei ab hinc triennio animaduertens inibi ministe-rio non posse niſi abuti meo, me subduxerim, atq; in totum a tractandis negocis aulicis qua-tenus fieri posset, memet abdicarim, tamē hac in re, quia ad fidei ea noſtre ſalutem animorūꝝ conſeruationem pertinet, modo abſcꝝ omni fu-co techniſcꝝ aut cauillationibus fieri poſſit, li-benter operam meam (quantulacunq; ſit) offe-ro, Christi Iefu auxilio fretus. Potero quidem aliquid (ni fallor) pro mea ingenij tenuitate a-pud eos qui ſe Euangelicos profitentur, cū qui-bus negocia Regis mei gerens, per totam Ger-maniam atq; Belgicam ſpatio quatuordecim annorum non mediocrem amicitiam contra-xi. Epistolam quam ad Philippum Melan-chthonē mitti poſtulas, poſtridie quam eam ac cepi, per certum tabellarium Augustam Vin-delicorum transmittendam curaui. Inde Vvit tenbergam perferretur bona fide, & quicquid Philippus responderit tuę celſitudini, per me tuto committetur. Hec noſtra epiftola opera Pe-tri Caroldi Consulis Lusitanorū Venetijs ad te

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

te perueniet, cui si respondeas, literas tuas par
ratione ad eūdem destinare possis. Is enim eas,
ubiuis gentium fuerim, ad me curabit transmit
tendas. Cogor equidem consilio Medicorum
propter capitis ægritudinem, in quam incidi ex
quo ocio isto literario frui cœpi, calores Pataui
nos fugere, quibus exactis Deo adiutore huc re
uertar. Superiore quadragesima nactus sum ora
tionem de parando cōcilio, cuius autor tua exi
mia prudentia fuit. Eam mox ad Melanchtho
nem misi, ut tuam pietatem amoremq; in Chri
sti ecclesiam ex illa cognosceret. Postea ex Ger
mania a quodam amico accepi Orationem, que
exhibita est in comitijs Smalcaldiensibus de re
futando concilio Mātuano, quam credo a pud
uos esse, tamen quia Petrus Bechimijs affirma
uit nullam eius isthic mentionē factam fuisse,
obiter eam literis meis adiunxi. Reliquum erit
ornatissime Præsul, ut te orem, ne Pontificem
Maximum atq; collegium Cardinalium insti
gare desinas, ita ut incepisti, ad Ecclesiæ concor
diam, quæ procul dubio in uestris manibus est.
Deus Opt. Max. tuam dignitatem seruet, uti
tandem aliquando Reipub. Christianæ mul
tos iam annos afflictæ dilaceratæq; perpetua
tranquillitas & salus tuis consilijs restituatur.
Patauji Cal. Iulijs, Anno salutis 1537.

Da-

A D D A M I A N . A G O E S .

Damianus a Goes Nicolao Clenardo
S. P. D.

Litteræ tuæ, quæ quidem scriptæ fuere ipso Christi natali, uix tandem ad nos mensē Au gusto senio confectę peruererunt, quibus candide Clenarde, etsi docte mecum planeq; Attice agas, & ego contra Laconice imperiteq; respō sioni subseruiam, rem tamē gratam admodum mihi fecisti, quod de studijs Diui Henrici Lusitaniae infantis, Regisq; potentissimi nostri fratris ea polliceris, quæ tantum principem & ad exemplum uitę alijs p̄ebendum, & ad Remp. gerendam decent. Nunq; quenquam eius probitatis opinio fefellit, nunq; etiam fallere possit. Rumor hic sparsus de canonicatu in te collato nobis gratus fuit. Quod autem euanuit dolemus. Mihī tamen multo iucundior fuit tua animi temperantia, qua ut aīs curam animarum, quibus præesse ob lingue imperitiam non poteras, recusasti. Vtinā multos haberemus tibi hac in re pares, aut saltem nō multo inferiores. Flagitas a me ob meam in Linguam Lusitanicam Ciceronis de Senectute uerisionem rationes temporum Romanorum Consulum. Scito depravata exemplaria multos in errorem induxisse. Quod ipsū Theodorus Gaza vir disertissimus uidēs, cum rem inextricabilē iudicaret, nomi-

na

EPISTOLAE CLAR. VIR. O.

na Consulum, ubi de Liuio Andronico legitur
in sua Greca interpretatioē omisit. Quo in loco
pro Cethego & Tuditano lege C. Claudio Cē
tone & M. Sempronio Tudetano Cons. &
rem luce clariorem habebis. Fuerunt hi Consu
les An. 513. ab Vrb. cond. P. autē Sempronius
Tudetanus & Marcus Cornelius Cethagus
Cons. fuerunt anno ab Vrbe condita 550. quo
tempore Cato præturam obtinuit, trigesimum
annum agens. Porro de duabus negationibus,
quod scribis in ipso Catone una, & altera in O
ratore, quibus ademptis sensum ipsum clarius
apparere iudicas, ego contra nō mō in alia sum
opiniōe, sed nec sine illis orationē filum habere,
aut sentētiā constare posse affirmo. Difficultas
autem apud Oratorem est in uerbo referto male
intellectum, pro quo si accipias repræfento, nul
lam inuenias obscuritatem, ueluti si dicas cum
Cicerone. Ut igitur in formis & figuris est ali
quid perfectum & excellens, cuius ad excogita
tam speciem imitando referuntur (id est repre
sentantur) ea quæ sub oculos ipsa non cadunt,
sic perfectę eloquentię speciem animo uidemus,
effigiem auribus quærimus. In Catone ablata
(ut uis) negatione, ipsum sensum auferas & se
nectuti imponas, si uacaret muieribus h̄s, quæ
posset sine viribus sustinere, fateor enim legibus
institu-

AD DAMIAN. A GOES.

institutisq; liberari senectutem a laboribus illis, quos sine robore & viribus assequi non possumus. Nec tamen ob id est soluta ab illis negotijs, quæ ingenio, ratione, conjecturis, cognitione multarum rerum, cōsilio possit efficere. Quibus si uacaret, plane esset tollenda, nec illi committenda ducerem negocia publica, sed iuuēti, unde ipsum Ciceronem mendacissimum redideremus, qui inibi ait multas Resp. eueras consilio iuuenum, que senum postea in libertatem restitutæ fuere. Iam uides mi Clenarde, negationes nullo pacto adimendas esse, sed potius aureis characteribus exprimendas, ne quis in errorem eiusmodi forte incidere imprudens possit. Te tamen in hac sententia nunquam fuisse arbitror, sed eiusmodi ad me scripsisse puto, ut periculum de meis studijs faceres, que si non interrupta essent grūnosa hac mea uertigine, non tam tenuiter fortasse suos progressus (ut hactenus) fecissent. Verum utcunq; id abs te factum sit, ingentes tibi pro tuo in me aīo habeo atq; ago gratias. Monitio tua mihi & gratissima & iucundissima fuit, post hac meditatius scribā, In uida me spatijs natura cohercuit arctis, In genio uires exiguaeque dedit. Sum præterea naturæ ipsius iniquitate usq; adeo extēporaneus, ut sæpius literas claudam non incastigatas mo^edo,

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

do, sed n*c* semel lectas, præsertim eas, quas ad amicos illos mitto, qui meorum nouerunt studiorum radices ac processus. Ceterū illud, quo nihil in hac uita difficultius maiusc^b est, et si certandum cum natura ipsa sit, amplius non faciā. Fragmenta tuorum carminum magna cum uoluptate legi quidem, sed maiori alacritate de institutis cum Nigritis tuis studijs descriptionem ex literis Ioachimi Polite accepi, a quo si quæ forte desint in meo hoc epistolio, plenius reliqua omnia es intellecturus. Vale amicissime dilectissimeque Clenarde, & nos ama. Patauī: 4.
Cal. Augusti Anno 1537.

Damianus a Goes amico cuidam suo
S. P.

Ridie Calend. Ianuarij ad me vir amantis-
sime dedisti literas, quas tandem diurna
mora itineribus interceptis, ob ingruentes un-
dic^b bellorum strepitus, mense Augusto ex Ger-
mania reuersus accepi. Mirabere fortasse quod
singulis prope astatibus, ultro citro^b me gru-
i in more uagari audias. Id quidem morbi ex
ueteri primum consuetudine peregrinandi mihi
est contra cūm, sed eum postea confirmauit uer-
tigo (qua perpetuo affligor) usq^b adeo ut ei cru-
ciatur nullum próptius, aut præsentius adhibe-
re possim pharmacum, q̄ equitationis. De car-
mini

AD DAMIAN. A GOES.

minibus tuis iudicium doctorum virorum, me
umq; requiris, quo nomine immensas tibi ago
gratias, quod tam amice scilicet amico res tuas
aperire nō dedigneris. Ego quid alij promiscue
mecum sentiant, referam. Ajunt proculdubio
tua carmina nec inuentione carere nec omnino
Musis displicere, sed perinde atq; principi totā
regiam, quę quanq; multis ministerijs suffulcia-
tur, omniaq; placent in ea, & in suo genere ap-
probentur, tamen qui in primo illo uersantur
ordine, quiue in prima uel secūda mensa recum-
bunt, magni habentur, alij vero qui in quarta
ab illo ordine, ueluti orchestrę cauea locum ob-
tinent, in nonnulla etiam dignitatis parte consili-
tuuntur, reliqui autem omnes ad coquos usque
& obsoniorum structores, quamvis obscurum
satis gradum occupent, necessarij tamen sunt,
quia seruilia illis negocia & laboriosa officia in-
cumbant, quę q̄q; grauissima sint, in momento
temporis tamen delentur, extinguunturq;. Tu
in regia quidem uersaris, at in quo loco difficile
fuerit, discernere aut iudicare: Hęc sunt ex
communi sententia, quę habui de tuis carmini-
bus dicere. Venio ad meam peculiarem de te o-
pinionem, quę profecto magna est, sed eā(quo-
niam Laconice semper apud amicos, ob ingru-
entem capitidis dolorem agere cogor) paucissimis

e ij ab

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

absoluam, tecꝝ oro amice ex amico pectore procedentem ut accipere digneris. Doctus Cicero primum sane locum soluta oratione, inter Latinos obtinet, nec eius genio quicquam derogatum fuit, propterea quod carmina eius, salibus non essent condita. Sed ab eo tamen scriptorum gener, quum ne sibi quidē ipsi satis placeret (quatenus potuit) se abstraxit. Quid si pari ratione & tu, qui tibi ipsi quoꝝ (ut profiteris) displices, Ciceronis exemplum sequaris, cuius non iniuria sectator, felicissimus esse iudicaris. Habet certe auream plane & Tullianam in soluta oratione uenam, in carminibus autē Alcumistice Veneri similem. Et scis quō molestum sit, uersari inter communes, atꝝ plābeios complexus. Quapropter te oro ut huic sententiæ meæ obtempores, nempe ut optimum tibi locum concedi inter Ciceronianos patiaris. Quod de libris Aldinis mittendis ad me scribis, fecissem equidem libens, sed illa officina nihil noui amplius (ut solebat) dat studiosis. Si quid interea boni emerget, id quod uis, effectum reddam. Vale.

Patauij 6. Cal. Sept. Anno 1537.

Iacobus Cardinalis Sadoletus Damiano a Goes S. P. D.

Posteaqꝫ ad te literas dedi, uicissimqꝫ accepi priores illas tuas, paucis illis diebus incidi in

A D D A M I A N . A G O E S .

in morbum grauem, quo cū quatuor pene mensibus cōflictatus, aliquotiens uitę periculū adij, ea re factum est ut nihil scriberem ad te, cū maxime cuperem. etenim scito magnas mihi sollicitudines accessisse ex ea epistola quae ad amicū tuum missa est, illa enim inter Germanos uulgata, non parum in me infamię & suspicionis concitauit, quasi ego pristina causa desescere, & cum Luteranis commercium habere uelim, a quo ego sensu lōgissime abhorreo. Sed ego qui meo animo conscius sum, & me memini agere Dei causam, forti animo fero eiusmodi hominum calumnias. Scribūtur autem ad me de Melanchthonie uaria, alij probiorem & modestiorē multo q̄ reliqui nostri aduersarij sint, alij fraudulentum & fallacem insimulant, quod sane nolle, ita enim eum diligo si bonus, si simplicis, si ingenuus sit, quod in illo ingénio illaç doctrina aptius mihi uidetur conuenire. Hoc tibi affirmo, si cōgruere inter me ipsumq; licebit, id quod ego iamdudum molior, non difficiliter nos gloriam constitutæ concordiaæ & pacatæ Christianæ religionis ambos adepturos. Proin de a te peto ut mihi de his omnibus quid tu sentias, & quam spem habeas in manibus, indicare plane tuis literis uelis, nihil mihi gratius es facturus, q̄ si me certiorem tui & iudicij & illius consi-

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

consiliū reddideris. Cetera quę ad causam huiusmodi pertinebunt, literis inter nos, ut occasio affuerit, agentur, atq; explicabuntur, confido enim te, cui & in uirtute & in doctrina & in amore erga me permultum tribuo, assiduum mihi & beniuolum adiutorem affuturum. Ego quanq; Dei beneficio iam e periculo emersus sum, nondum tamen mente & corpore ita consisto, ut accuratis scriptionibus idoneus sim, quare te uolo æqui boni consulere, si haec tibi epistola negligentius esse scripta uidebitur. Quod Patrium redieris, gratum mihi est, præsertim cum reuersus sis ualentior, propinquioribus enim locis crebius inter nos commeabunt literæ. Tu ut ualeas, nosq; quod facis diligas magnopere a te peto. Vale. Ex Urbe, 3. Cal. Ianuarias Anno 1538.

Lazarus Bonamicus Damiano a
Goes S. D.

Nonsine prouidentia factum esse arbitror mi Damiane, ut cum tandem tua munera ad me perlata essent, membranas & globum, in quo est descriptio orbis terrarum, integrum ac ciperem, arcum uero disiectum & mutilatum, quid enim minus erat dignum, q; ut ego, qui nemini unq; fecissem iniuriam, auiculas ferire aut conficerem, in quibus esset summa innocentia? omnia

AD DAMIAN. A GOES.

omnia tamen pergrata fuerunt, tibi quidem ui-
ro optimo ac liberalissimo, omniumq; mihi a-
amicissimo per hanc epistolam gratias agerem
pluribus uerbis, ni uererer, ne id tibi molestum
accideret, qui soles propter magnitudinem ani-
mi parua ducere, etiam ea quæ magna esse vide-
antur. Habebo certe quas debedo, & hanc nō ob-
scuram egregij cui erga me animi significationē
non obliuiscar (mihi crede) dum uiuam, daboq;
operam, ut te pari, aut maiori etiam, si possim,
aliquādo remunerer munere. Vale cum uxore,
cum cognatis, cū amicis omnibus, & nos quod
facis, mutuo dilige. Patauij 7. Id. Quinti. 1539.

Lazarus Bonamicus nobilissimo uiro

Damiano a Goes S. P. D.

Legi perlubenter historiam a te nuper editā,
non modo, quia delectari soleo hoc genere
literarum, & id uehementer existimare ad res &
publicas & priuatas, nec minus ad philosophiā
ipsam pertinere. Sed etiam & cui & tuæ fortissi-
mæ nationis fama nominis capiebar. accedebat
clades illa nobilis eius hostis, quem semper ipse
maxime omnium odi, ut Christianis, ut literis
& bonis artibus, ut ipsi uirtuti inimicum, quem
etsi nostrorum uel discordia, uel stultitia, uel lo-
cordia, uel ceca quedam ac insignis improbitas
formidabilem effecit, spero tamen aut confido
porius

EPISTOLAE CLAR. VIR. O.

potius Dcum Opt. Max. non permissurum, ut
id imperium diuturnum sit, quod malis artibus
semper & partum & auctum esse uideatur. qua-
re Historiae tuæ lectio iucundissima fuit. Vtis-
nam mihi Damiane, reliqua persequaris quæ ha-
bes in commentarijs, erunt (mihi crede) omni-
bus gratissima. Caeu enim putes quicq; nostra
superioraue tempora magis posse illustrare q;
imprimendi rationem & noui orbis inuentionē,
quæ duo non modo cum antiquitate conferen-
da, sed & cum immortalitate ipsa comparanda
semper iudicauit. Historia enim talis est ut ipsa
diligentissime contexta, unumquenq; retinere in
legendo possit. De Iouio nihil habeo quod sta-
tuam, eius enim scripta nondum legi. perge mihi
Damiane, & pertexe quæ polliceris, ne cū alio-
rum præstantium uirorum, tum uirtutem tuo-
rum in obscuero esse sinas. Vale & me mutuo di-
lige, Patauij 4. Cal. Septemb. 1539.

Christophorus Madruchi Cardin. &
Epüs Tridentinus Damiano a Goes S.

Ferunt mihi his diebus elapsis literæ tuæ
per ueredarium Regium oblatæ, una cum
Commentarijs tuis rerum a Lusitanis in India
citra Gangem gestarum, quas summa animi uo-
luptate perlegi. Et quanq; nihil quod a te pro-
ficietur mihi nō potest esse non gratissimum,
tamen

AD DAMIAN. A GOES.

gratę fuerunt ex eo quod me certiorem reddide-
rint, ubi locorum uersarcris, quippe qui cogni-
tum non haberem, in qua mundi parte pedem
fixeris. Nunc uero posteaq; audio te Louarij
una cum uxore otio literario frui, opto ut ex a-
nimi tui sentētia omnia feliciter cadant, illudq;
otiu sit tibi perpetuum, ita ut foetum in mente
tua cōceptum, tandem cū laude nunq; intermo-
ritura parere possis. Cæterum quod mihi de a-
depta Episcopali dignitate tam amice congra-
tularis, meq; officij mei admones, facis tu qui-
dem candide & syncere. At dum ponderis mihi
impositi magnitudinē considero, uiriumq; mea
rum imbecillitatem, timeo aliquantulū ne sub
mole deficiam. Quapropter Deus Opt. Max.
affidue rogandus est a me, ut id quod proprijs
uiribus non potero, gratia sua suppleat. Præ-
terea tibi persuasum esse uolo, hanc dignita-
tem, mihi de animo meo erga te, nihil penitus
ademisse. Quod si aliquid potero in rem tuam,
ubi interpellatus fuero, senties me nihil antiqui-
us ducere, q; tibi in omnibus complacere. Et
his te cum uxore in Nestoreos annos ualere exo-
pto. Trideñ. die 5. Nouemb. Anno 1539.

Petrus Bembus Damiano Lusitano

S. P. D.

D Electauerunt me magnopere literæ tuæ,
f quæ

EPISTOLÆ CLAR. VIRO.

que tui cupidissimum de omni statu tuo erudi erūt. Itaq; gratulor te uxorem duxisse, atq; ita consulere posteritati uoluisse. Quam tibi rem Deum Opt. Max. fortunare uolo. De me quod scire optas, nihil tibi possum dicere, præter hoc unum, me in Cardinalium collegium a Paulo Tertio Pont. Maximo, non modo non petentem, sed ne cogitantem quidem ea de re quicq; fuisse cooptatum. Nunc me comparo ut ad illum proficiscar. Id enim me q; primum facere uult. Te amatissimum mei esse, ut scribis, ualde gaudeo, idem de me tu ut cogites, exploratumq; habeas, a te peto. Resendij literæ si uenerint, crunt mihi gratissime. Vale, Nonis Aprilibus 1539.
Venetijs.

Lazarus Bonamicus Damiano suo
S. P. D:

QVæ antea de matrimonio audierā, quæ que iucundissima fuerant, eadem multo iucundiora extiterunt lectis tuis literis, quas hei ri accepi, non enim solum certiora existimabam quæ a te afferebantur, sed etiam humanitas tua ad me scribens sustulit pene subrusticam uercundiam meam, nam cum ad te uellem scribere gratulationē, quas meas partes esse putabam, impediebar tamen eo timore, ne uiderer scriben do exigere, quod mihi non desbebas, sed liberali tas

AD DAMIAN. A GOES.

tas ut solet, tua obtulerat, de globo loquor, de
arcu, de chartis, quæ omnia tantæ curæ tibi esse
video, ut magis admirer tuam in omni genere
officij & laudis diligentiam, q̄ hanc in his re-
bus sollicitudinem probem, omnia tamē ex ma-
gnitudine animi ac probitate profecta esse in-
telligo, cum tam parua in re errorcm pertimes-
cas, quod ingenium, quæ disciplina tua uiuendi
fecit mi Damiane, ut me valde matrimonium
tuum delectaret. Si enim in arboribus propaga-
tio laudatur, quanto magis in uiris bonis, fortis
gignuntur fortibus, & alter senior poeta ἐοικός
ταῦτα τέκνα γονεῦσι γίγνεται uere cecinit. quo circa tis-
bigratulor & eo quidem magis, quod uxorem
(ut audio) duxisti, nobilem, liberaliter educatā,
formosam, dignam deniq̄, quæ uni tibi in ma-
trimonio collocaretur, præterea nemini. Vt inā
ex te nascantur tui similes, qui tua cura instituti
ætati suæ ornamento, tibi tuisq̄ maximè sunt
uoluptati, ad quam rem te pares nunc oportet,
hoc est connubij munus, hoc omnibus in ducen-
da uxore propositū esse debet. Sed quid ego hęc
ad te quæ & optimum & prudentissimum es
se non ignoro. Quod factum esse a me non tui
admonendi, sed testificandi potius summi mei
erga te amoris gratia uelim interpreteris. Patrē
meum, cæteroscq̄ (ut iubes) tuo nomine saluta-
f ij bo.

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

bo. Possum autem tibi confirmare, ab omnibus
te amari, & suspici. Vale. Patauñ: 5. Cal.
Maias. 1539.

Sigismundus Gelenius Damiano a Goes
S. P. D.

Mirifice me nuper exhilarauit Frobenius,
patrone eximie, non solum enim salute tu-
is uerbis mihi renunciata, memorem te amiculi
intellexi, sed etiam ex eiusdem sermone percep-
te ueterem erga officinam hanc fauorem retine-
re, quandoquidem & Tertulianicum thesaurū
benigne communicas, & insuper alia ultro pol-
liceris omnibus rerum mirandarum studiosis-
uel ambitiose expetenda. Mihi certe, cum ex nō
memini quo non ita dudum cognouissem ali-
quid eius generis penes te esse, ardebat animus
hortari ad editionē. Sed bene habet qd' nos prae-
uenisti. Porro cū quęuis historia natura sui dele-
ctet, perigrina uero admirationem etiam pro cō-
dimento habeat, tum recentissima quęq; maxi-
me nos si Homero credimus, afficiat, p̄cipue
quę comperta narret, q̄ festo applausu putas
hanc tuam excipiendam, quę de alio pene dixes-
rim orbe, recens haud sine Diuina ope auspic̄is
inclitorum Lusitanię tuę regum, atq; etiam bo-
na ex parte inuictiss. huius Augusti & maiorū
eius, lustrato, nos docet, non qualia olim Ctes-
fias

A D D A M I A N . A G O E S .

sias aut Iambulus de Oceano eiusq; oris ac insu-
lis ad uoluptatē confinxit, tanto licentius quod
neminem coarguturum uerebatur , sed quæ cō-
pluriū oculato testimonio approbare facile est.
Cæterum huius expectationis uoluptatem bre-
ui cumulabis ipsius libri optatissimi represe-
tatione. Aliam præsentem dissimulare non libet,
quod tibi gratulandi materia mihi oblata est,
quandoquidem ad cæteras quibus profecto di-
gnissimus es felicitates, nouus hic quoq; calcu-
lus accessit, uxor ex animi ut scribis, sententia re-
perta , id quod utricq; felix atq; perpetuum fa-
xit ille omnium honorum dator & autor. Sūt
mihi istic iam olim duo patroni cum primis cā-
didi, Dilfus & Vtēhouius, uterq; genere æque
ac eruditione clarus , ac proinde ut facile conie-
cto neuter tibi ignotus, quos si dabitur occasio,
obsecro ut meo nomine salutare non graueris,
mihi uicissim quicquid libuerit tuo iure impera-
to. Vale q; optime una cum omnibus tibi cha-
ris. Basileę pridie natalis Io. Baptiste, An. 1539.

Nobilissimo uiro Damiano a Goes Lusi-
tano Glareanus S. D.

M Agno gaudio tuas accepi literas , nobilis
sime D.Damiane, Eques magnifice, maxi-
me quod nunc sciam quo terrarū degas, & quid
uiuas, id enim antea non licuit. Cæterum pres-
cor

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

cor tibi uxoriq; tuæ felix faustumq; cõiugium
ad Nestorios annos, secus certe q; mihi acciderit.
Nam toto hoc triennio uxor mea Ictero. i. re-
gio morbo laborâs V. Cal. Septembreis ad su-
peros concessit, ac me miserum in hac lachry-
marum mole reliquit, cui Deus sit propitius ac
nobis omnibus, certe mihi tantum mceroris in-
gessit, cum egritudine longa, tum morte moe-
stissima, ut optarim sepius mori, atq; hec item
causa fuit, cur ad tuas literas serius breuiuscq; q;
uelles responderim haetenus. Atq; hoc scire de-
bes, te mihi ex animo charum, idq; tuo merito.
Necq; unquam desitaram memoriam tui apud
me quoad uixeris, etiam si literæ meæ rarius ad
te ueniant. Non omnia sita sunt in literis, mul-
ti splendide rhetoricanter frequentibus episto-
lis, qui animo sunt non admodum amico. Ego
re expertus sum, q; sis ingenuus, q; gratus, q; ani-
mo ciuili, humano, benigno, q; integer uitæ, sce-
lerisq; purus, ut inquit Flaccus. Viciissim tu Gla-
reanum nosti, q; nihil scuci apud eum, q; uelit o-
mnibus commodare, nemini molestus esse, de oī-
bus si possit, bene mereri. Itaq; tu tibi persua-
deas uelim, etiam si rarius scribam, me tui no-
minis ac honoris perpetuum fore & præconem
& buccinatorem, idq; re experieris Christo be-
nefauente. Sed nunc ad epistolam tuam. In Li-
uium

AD DAMIAN. A GOES.

uium annotationes nostrę Basileę excuduntur,
sed Bibliopolarum discordia hactenus, quo mi-
nus editæ sint, in causa fuit. Heruagius typogra-
phus excuderat Liuium. Is cum audisset aliud
nouum Liuij opus cū annotationibus nostris
parari, ueritus ne ipsius editio exorbitaret no-
stra edita, adjit Senatum, ac ibi tantum potuit,
ut meus bibliopola cogatur editionem nostram
in annum differre, quo ille alter suos codices ali-
quot uendere queat, ne totus concidat. Musica
item absoluta est, sed quod nolim a quo quis hoc
opus edi, præterea quod pauci notulas musicas
tractare queant, domi adhuc foeturam conti-
neo, donec idoneum nactus fuero typographū:
Et nunc luctus ob coniugem amissam nonni-
hil remoratus est festinationem. Immensum cer-
te opus est, in quo res tracto quas haud scio, nū
quis ab DCCC. annis (ablit uerbo inuidia) ul-
la hominum memoria tentauerit. Deus Opt.
Max. faxit ut ad eius gloriam, quo animo cer-
te conscripsi, in lucem ueniat. Id gaudeo quod
tam commoda nominis tui celebrandi occasio
in eo opere mihi data fuerit. Nam spero id mi-
hi honori fore, tibi uero neutiū dedecori. Ad fu-
turam æstatem in animo habeo Deo fauente,
id in lucem dare, si aliqua honesta conditione cū
eximio quopiam librario conuenire qui uero, &
ipse

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

ipse adesse operi. Nam omnino magnifice excū
di uolo, nihil lucri inde sperans, sed publicum
dumtaxat studiosorum, maxime uero Musico-
rum emolumentum ac commodum. De Baro-
ne a Gebennis nihil certi habeo. Nōdum annus
elapsus est, quando frater eius minor natu D.
Prosper, biennio mecum cōmoratus, hinc a me
abierit, nec interea quicq̄ de utroq̄ audiui. De-
dicaueram eis annotationes meas in Cesarem,
ante biennium editas, & nūc a Gryphio Lugdu-
ni, item alibi impressas, sed operam & impen-
sam perdidī. quod cuius iniquitate fiat, scio, ue-
rum res non est tanti. Necq̄ enim tam muneris
piscandi gratia, q̄ publicæ utilitatis causa eum
laborem suscepseram. Pater eorū ditione sua ex-
cidit, proxima post Ducem authoritate in Sa-
baudia. Verum ut eius regionis status sit, probe
nosti, & habuerunt præceptorē, de quo ego
optime meritus, at is Dij boni, quomodo me-
cum egit, ut sāpe recorder D. Erasmi, qui nul-
lum genus hominum peius oderat. Sed nolo te
diutius obtundere. D. Ioannes Brisgoicus, pri-
die Calendas huius mensis Nouemb. extremum
clausit diem, cum egrotasset aliquot menseis. Be-
rum nondum uideram cum hęc adornarem, sed
non negligam iussum tuum. De Lusitanis libel-
ium obuīs ut aiūt, ulnis accepi, sed uixdum ali
quot

AD DAMIAN. A GOES.

quot folia percurreram , cum ecce D. Iohannes
Vernherus a Rischach, antiquę nobilitatis uir
domus Teutonicæ, Friburgi hic Commenda-
tor, ut uocant, qui ad nobilitatem familiæ mul-
tas animi dotes habet, eruditionem haud uulga-
rem, & iudicium acutissimum, ad me legentem
uenit, ac libellum ipse per hoc triduum habuit,
ita ut ego nondum legere potuerim, sed quæ le-
gi, summe placent. Macte uirtute mi Damiane
perge ita dignam rem tractare. Quid enim di-
gnius, q̄ eam laudare gentem, quę plus laboris
pro Christi sumit ampliando regno, q̄ tota cæ-
tera dormiens Christianitas? Deus Opt. Maxi.
bene prosperet & regem tuum & totū regnum.
Huic D. a Rischach de quo dixi, Annotationes
meas in Sallustium dedicaui , est certe dignus
omni laude uir. Sed uide ut longus nunc sim,
quę tu breuitatis accusasti. In ep̄tis meis parce,
Nam luctus adhuc me occupat, & lachrymæ
ob coniugem eruptam multa inturbant, atq;
scio te omnia boni consulturum, Bene uale. Fri-
burgi Brisgoæ anno a Christo nato 1539. po-
stridie Nonas Nouemb.

Tidemannus Gisius Episcopus Culmen-
sis Damiano a Goes S. D.

CVm suauissimos mores tuos Gedani mihi
tantum degustandos prebuisses, uir excel-
g lentissi

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

lentissime, ita me rapuisti in desiderium tui, ut permolestum animo meo fuerit, inde a tot annis non potuisse certum de te quo loco cōsisteres cognoscere, quanq̄ ex opusculis, quae tuo nomine passim prodibant, ac ex Erasmi ad te datis epistolis satis constabat, q̄ mutato uitę instituto, ad foecundiores Musas te contulisses. Qua remagis etiam accendebar, ut cuperem literarum commercium aliquod cum meo Damiano mihi contingere, iam probe literato, ac nostrā sensim obsolescentem amicitiam reuigescere occasione aliqua , quum ecce mihi affertur libellus, quem de rebus Lusitanorum in India gestis a te scriptum mihi reddi iusteras. Nunci abatur simul te iam maritum Louanię sedem remq; familiarem constituisse. Id quod ad integrādā tuedacq; pristinę amicicię nostrę iura rebar satis fore accommodum, fuitq; mihi periucundum, quod te, cum uiciniorē conuenire non liceret, habetemus saltem literis adibiliorem, q̄ si extremę illę Gades ciuem te recipissent, quod plane iam euenisse mihi persuaseram. Ipse mox libellus a me lectus ingenij tui ad præclariora semper cōtendentis, præsens mihi specimen exhibuit. pos tuisset & coram mihi loquentem te referre, si comite epistola aduenisset, gravior etiam hoc nomine mihi futurus. Oblectabat tamen me, quod
cerne-

AD DAMIAN. A GOES.

ternebam te adhuc mei memoriam candide a-
lere. Delectabar & ipso peregrinarum rerum ar-
gumento, ac rarae uirtutis historia, quæ mihi in
uexit cupiditatem legendi cætera quoq; , quæ
de rebus Indicis te nobis daturum polliceris.

Dabis autem & breui & copiosa. Nam ex coetu
Musarum unam præcipue abs te coli video
κλεω. In quo scripti genere materiam tibi suppe-
ditat Lusitani tui ditissimam , ac cum veterum
gloria ita certantem, ut te quoq; scriptorem ce-
lebritate nominis nobilitare queat. Id quo ubi-
rius assequare, puto non parum referre , ut hi-
storiæ connectas topographiam, quæ nescio an
alij perinde ac mihi ignotarum regionum ge-
sta legenti desideratur. Extant uero , ut audio,
Mathematicorum industria iam chartis glo-
biscq; graphice excusa huius artificij exempla-
ria, ut multum in hoc opere sudare tibi opus nō
sit, modo lectori, ne qua hæreat, consulas. Ego
te non solum familiariter iunctum mihi, verum
etiam magnū omnium calculis haberi cupiens,
hæc scribo. Queris fortasse & tu, quo in statu
ipse sim, & scio te secundis meis rebus favere.
Alter iam annus est , quum me fortuna statuit
(nolo enim euexit dicere) in fastigium mea qui-
dem uirtute maius, sed in quo suscipiendo Prin-
cipis mei authoritas & multorum bonorum iu-
gij dicium

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

dicum meo ipsius erat anteferendum, ac cedendum Dei uocatis maiestati. Utinam uere etiam sim ut uocor Episcopus. Reliqua ipse conficies. Sunt certe eiusmodi, ut maiora optasse impudentiae sit. Ego uero quæcunq; cum hac dignitate mihi obuenere, non magis meis q; amicorum commodis destinata habeo. Tu utitor, si quid penes me censes situm, quo tibi gratificari queā. Dominus tuam excellentiam amplificet & seruet incolumem. Ex Antiquo castro Die 16. Novemb. Anno 1539.

Ioannes Rod, Nobili ac doctissimo viro Damiano a Goes suo S. P. D.

Literas tuas simul & Carmanici belli, seu mauis Aracosici commentaria libens accipi, in quibus dilucide tu quidē & eleganter, Lusitanorū tuorum res gestas, & strenue nauata facinora conscribis, digna siquidem quæ nunq; silentio opprimantur, nunq; obliuioni mandentur, nunquam memoria excidant, quæ tu quando oculum simul cum ingenio & rara ista eruditione tua nactus es, non sinas tenebris obscurari, & in illustranda patria, & amplianda, cui in primis obnoxij sumus, nullas uigilias, nullos labores subterfugias, nullam deniq; lassitudinem ægre feras. Contigit nempe uerius illud
no-

AD DAMIAN. A GOES:

nobis, quod Romanis suis Crispus contigisse
conqueritur, quippe ut res nostras praeclare ge-
stas, & maiorum nostrorum egregia facinora,
nullum satis dignum sortirentur scriptorem.
Meritæ siquidem illæ erant, quæ a Liuijs, Tacit-
is, Salustijs scriberentur, & alterum nactæ es-
sent, qui eas caneret Maronem. Tu uero (ut in-
quam) cui hoc a superis concessum est, rem te
dignam aggredere, & tuorum gesta a situ, &
squalore uendica, & ea illustra quæ hucusque
Cymmerijs obscuritatibus obruta iacent, ut ui-
deare non cum solo patriæ, memoriam eius &
amorem pariter uertisse. Quod uero operam
mihi tuam benigne polliceris, & ultiro offers,
facis tu quidem amori erga te meo debitam, tecum
dignam, & uirum te memorem ostendis, quicquid
trans mare currens cælum quidem, sed non ani-
mum mutaueris, dilexi enim te admodum pue-
rum, & optimam indolem tuam, que in frugem
postea perfectam euasit, tunc temporis ample-
xus sum, postmodum uero nomen tuum & fa-
mam suspexi, amavi, & nūc etiam ueneror. Ta-
ceo quod alias tibi signifcaui, & tu optime me
ministi, quo amore, quaue dilectione Fructum
a Goes fratrem tuum hominē probum, & ami-
cis ualde proficuum, semper fuerim prosecutus.
Recte tu igitur iurecum id facies, si me semper ama-
bis

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

bis, quando iam olim id a te promeritus sum,
tuq; etiam a me semper redamaberis. Sed de his
hactenus, quando id satis mihi persuasum est,
neq; tu is es, in quo fucatum aliquid fictumq;
sit, aut syncerum quicq; aut candidum desidere-
tur Cæterum cum nimium cupiam, totius pla-
gæ ad Septentrionem porro expositæ noticiam
habere, meminerimq; te apud Sarmatiæ Regē
oratorem egisse, ubi qua es diligentia & dexte-
ritate, oportebat te isthæc omnia recte intellexis-
se, penitusq; indagasse, rem mihi gratissimam
feceris, & pericundam, si commentariolū quen-
dam, perbreuem illum quidem, sed alioqui qui
breuiter omnia cōpleteatur, ad me mittas. Per-
uenit siquidem ad nos de tribus Sarmatijs qui-
dam liber, non solum absq; ulla elegātia & ora-
tionis nitore descriptus, (cum lectio absq; dele-
ctatione, quæcunq; illa sit, semper mihi frigeat,
& si non sacra fuerit, omnino uilescat) sed quod
peius multo est, confuse admodum & intrica-
te compositus, & in quo nihil erat quod ad gu-
stum faciat, nec quod possis ad eruditionem &
doctrinam, & ad perfectam rerum cognitionem
excerpere, & ob id maior me exinde cupiditas
coepit istius rei perscrutandæ & pernoscendæ,
quod optime te effecturum confido. Sed iam e-
pistolæ finem imponerem, nisi restaret a te mi-

Da

AD DAMIAN. A GOES.

Damiane petere, ut si hic tibi mea opera in aliquo officio opus erit (nam alibi nihil est ut scis) quod præstare possim) me utaris amico obsequientissimo & beneuolo. Vale ex Portu Gallie
Idibus Ianuarij 1541.

Jacobus Cardinalis Sadoletus Damiano
a Goes S. P. D.

ACcepi literas tuas Louanij pridie Idus Octobris datas, una cum libello de moribus & religione Aethiopum. Nam alterum librum inscriptum de Carmanico bello, neque nunc accepi neque cum priores tuę literę ad me delatę fuerūt, quibus ego tum respōdi, mirorq; meas ad te nō peruenisse, neque tunc igitur liber Carmanicus tuus mihi fuit redditus. Sed quod ex utrisq; literis tuis cognoscere potui, te scilicet recte valere, mei que memoriam cum fide conseruare, fuit mihi utruncq; gratissimum. Satis enim iam diu est, ex quo ego te diligere coepi, & propter doctrinam & propter nobilitatem animi tui, et si nulla unquam inter nos præsentes intercessit familiarietas, quam tamen uirtus requirere non semper solet. Quod me admones, ne quid ad illos homines quos nosti amplius scribam, amice facis, habeoq; gratiam tibi, optimi consilij quod mihi das, cui libenter equidem obtemperabo. Nam me antea quedam meę naturę humanitas insita id fa-

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

id facere cogebat, si qua molliri possent eiusmodi pectora, in quibus ut re ipsa nunc experior, non ratio, sed amētia & pertinax temeritas inhabitat. Hac adductus ratione si quid forte profici posset, & scripsi prius ad eū quē tu scis, quas etiam meas literas tu illi reddendas curasti, & postea ad Sturnium, non tam mea sponte quidem, q̄ amplissimi Cardinalis Parisiensis hortationibus inductus. Sed etsi ea res, ut scribis, honor mihi non est, tamen quod in causis Dei & religionis magis spectare debemus, conscientiae a me meq̄ satis est factum. In posterum ero cautor, non quin eadem mansuetudine & cupiditate illis subueniendi, affectus erga homines q̄ tumuis alienos ab omni pietate sim, sed quia uideo consilia mea, quae meq̄ tantisper oblitus dignitatis, ad Deum cuncta referebam, patū mihi prospere apud plane corruptas & tanq̄ opressas pestilentia mentes procedere. Ego eum solennes hi dies preterierint in quibus Deo & Ecclesie omnis opera tribuenda est, etenim has scribebam 9. Cal. Ianuarij ante lucem, eo ipso die, qui natalem Domini nostri diem antecedit, & perlegam tuum librum diligenter, cuius particularam iam legi, ualdeq; probauī, & alterum etiam libellum expectabo, si forte alicunde ad me perferatur. Tu interea ualebis, & in optimis studiis

AD DAMIANI A GOES

studij tempus omne dispones, quo quidem generit
vitæ nullum ne cogitari quidē beatius po-
test, nosc⁹ amabis, tibi⁹ persuadebis uicissim &
nobis te amari. Vale. Carpentoracti in nostra
ecclesia ix. Cal. Ian. 15 40.

Petrus Bemb. Card. Damiano Lusitan. S. D.

Historiolā de bello apud Dium Indię oppi-
dum a Thracibus gesto tuā, quam ad me
amantissime scriptam misisti, legi summa cum
uoluptate. Nam & Lusitanorum tuorum vir-
tutem, qua magnopere delectatus sum, & Thra-
cum perfidiam, quam quidem omnibus homi-
nibus esse notam atq⁹ perspectam operæ preciū
est, ac uarios rerum & impressionum euentus
continet cū illustri nostræ necessitudinis tuæq⁹
in me singularis beniuolentię ostensione, qua ni-
hil mihi potuit esse iocūdius. Itaq⁹ de eo ualde
me hercule te amo. Tibi uero, quod re familia
cōstituta te ad scribendū contuleris, ea præser-
tim bella & actiones, que regis tui tuorumq⁹ ci-
vium gloriam sint propagature, multū sane gra-
tulor. Se enim ipsum una cū illis illustrabis, ca-
piesq⁹ studiorum tuorum eum fructum, qui esse
maximus potest, hominum laudem beneuolen-
tiāq⁹ omnium, qui latinis se literis dediderūt;
Quibus omnino quid esse delectabilius potest,
quam earum rerum, quas in tam longinquis
h regioni

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

regionibus & populis nostri homines fortiter
gesserint, conscriptarū suavis & iocūda lectio.
Quare & gratum plurimis fecris, & tibi certe
per honorificum, si reliqua etiam, quæ uel gesta
per Lusitanos illis in locis iam sunt, quæ scio es-
se plurima atq; maxima, uel posthac gerentur,
sumes conscribenda, quemadmodum te factu-
rum polliceris. Nannio tuo debeo sane pluri-
num, qui plus mihi suis in elegis tribuit, q; qui
non amoris abundantia ducatur, possit agno-
scere. Itaq; erit mihi & sua doctrina & tua co-
mendatione plane charissimus. Quod ab uxo-
re tua me saluere iubes, est mihi sane iocundum,
quam esse grauidam ut scribis, lætor. Ei dices,
ut se tibi sospitem seruet, & filiolum patrisimi
Iem edat, cum pariendi tempus uenerit. Vale
Pridie Cal. Ianuarias. 1540. Rome.

Georgius Coclius clarissimo viro Damia-
no a Goes. S. P. D.

Non rescripsi hactenus ad tuas nouissime
ad me datas literas, quod sperabam opu-
sculum meum de Patientia Christiana cū alijs
nonnullis propediem excusum iri, quem uideli-
ret ad te pro tuo pulcherrimo de uictoria Lusi-
tanorum ad me libello misso inuicem mitterē,
quæ res cum longius multo expectatione mea
dilata esset, factum est ut hęc tibi iā ualde sera,

&

AD DAMIAN. A GOES.

& fortasse putida epistola possit uideri. Quod nisi libellus ipse quem tandem typis excusum nunc cum his literis ad te misi, ueniā mihi abs te impetrabit, equidem non satis rationem me habere fateor, qua huiusmodi culpam excusem, aut deprecer. Vereor tamen ne longe opinione mea fallar, qui id operis mihi abs te gratiam cōciliaturum esse sperem, quod magis, siue quod fortasse inuenustum est, siue quod ærea pro au-reis infensum te mihi reddere debeat. Id si acci-derit non alio præsentiori remedio uti possum, q̄ illo uidelicet, te a nobis s̄epe per literas conten-disse, ut simulatq; editum esset tecum velle com-municare. Quod uero attinet ad tuam de rebus Lusitanorum histriam, equidem eam summa cum uoluptate perlegi, nihil mihi Damiane chri-tissime amor erga te meus imponit, eam certe lu-culenter scripsisti, idq; omnes fatentur in quo-rum manus incidit. Rex etiam noster cum iudi-cium de eo opere meum quæreret, respondi que-tum maxime quadrare uisa sunt, nempe & præclarum mihi uideri, & te eo nomine de patria optime meritum esse, aliacq; multa id genus, que longum esset epistola recensere. De Principe ue-ro Henrico quid memorem, qui totus tuus est, mihi uero Damiane, ita me Deus bene amet nō semel lachrymas hic tuus libellus præ' gaudio

h ij excus

EPISTOLAE CLAR: VIRO.

excussum, quod uiderem cum in Lusitania nemo
esset qui nostrorum gesta clarissima memoriae
proderet, tamen extra patriam non deesse qui ea
dem summa cum grauitate atq; facundia poste
ritati consecraret. Eum inquam non deesse qui
cum singulari sua probitate atq; innumeris ani
mi dotibus ab exteris nationibus fiat maximi,
tamen extra patriam quæ illum omnibus premijs
allicere & retinere debuisset, uiuere optauit.
Sed nolo hic immorari, ne rursus dolori meo
manus afferam, & uulnus refricem. Porro ut
de opusculo meo quod ad te misi aliquid dicā,
ego id ad te refero, tanquam ad amicorum opti
mum, quæ enim carmina de Alfonsi Cardina
lis consecratione scripseram, uel rerum diuina
rum obscuritate, uel festinata nimis editione,
uel certe quod illa ætate non perinde in Poeti
ce stadio promoueram, minus nonnullis pla
cuerunt, nunc uero haec de Patientia Christia
na carmina dñitino pertinacis limæ labore, uel
potius tædio quasi exasciata, & multorum e
ruditorum iudicio dedolata in manus homi
num cum alijs quibusdam exeunt. Et Apollo
nius quidem ille qui tam præclare Argonautis
ca cecinit, primo quidem displicuit, postea o
pere suo retexto & diligentius emendato, usque
adeo placuit, ut nominis immortalitatem sit a
deptus

AD DAMIAN. A GOES.

deptus, mihi certe ut taceam de presentium gratulatione quæ multa & constans est, quotidie diuersis ex locis multorum eruditorum literæ afferuntur, laudum mearum quæ tamen intelligo quam sint tenues & gratulationis plenissimæ. Quare tuę partes fuerint charissime Damiane pro tua singulari probitate, nostracę necessitudine lucubrationem huiusmodi nunc primum peregre eūtem, & authorem suum ausam relinquere in tuam fidem patrocinium, si modo digna videbitur, recipere, ipsiusq; dignitatē in ista clarissima Louaniensi academia tueri. Nostri enim nimiam huius etatis in eos qui aliquid quanuis cum laude scripserint, si modo nomen eorum celebre non est, licentiam & libertatem. Cæterū illud fore confido, ut auctoritate tua, quæ magna ut esse debet, est omnibus in locis, septum & munitum opus non modo facile stet aduersus quoslibet obtructatores, sed in famam quoque & laudem aliquam nominis exeat. Iuuabis in eo ciuem tuum, iuuabis tuorum omnium cupidissimum, iuuabis postremo hominem tui amantissimum. Simul etiam pergratum mihi feceris si primo quoque tempore tuum ad me de eo opere doctissimorumq; uiorum iudicium qui istic agunt prescripseris. Sed ne prolixitate literarum molestus tibi sim,

finem

EPISTOLAE CLAR. VIR O.

finem faciam, illud modo abs te peto, ut mea o-
pera, studio, diligentiaq; omnibus in rebus ue-
lis uti, neminem enim mi Damiane tui me uno
studiosorem, aut amantiorum habes in Lusita-
nia. Vale. Datum Olyssippone 7. Cal Septem-
bris. 1540.

Jacobus Cardinalis Sadoletus Damiano
a Goes S. D.

ACcepi literas tuas Hagæ Comitis datas,
quibus suauiter repetis initia nostre ami-
citiæ, que & apud me firma est, & nulla uetusfa-
te, ac ne disiunctione quidem locoru minuitur.
Quod autem scribis te ex Italia proficiscentem
etiam ad me scripsisse, scito illas literas ad me non
fuisse perlatas. His uero quas postremo accepi,
idcirco tardius respondeo, q; non solum occupa-
tionibus factum est meis, ut in hanc diem distu-
lerim, sed multo etiam magis, q; non habui cui
recte committerem , quin etiam nesciebam , an
hæ certum iter ad te habituræ essent. Cōsilium
tuum ducendq; uxoris, ego uehementer probo,
modo ut liberum tibi fuerit, nec sis religionis ul-
lo uinculo illigatus, quod tamen ita esse tua ad
ductus uirtute integritateq; confido. Quod au-
tem eiusmodi uita in hac tanta colluione tem-
porum uisa tibi fuerit & commodior & san-
ctior , minime nunc quidem est de ea re disce-
ptan.

A D D A M I A N . A G O E S .

ptandum. Ego enim statuo, quod saluis legibus fiat, suæ unumquæc sibi uitæ & auctorem & moderatorem esse oportere. Quicquid sit, Deum tibi fortunare tuum consilium uolo. De me ipso, quod te credo inaudisse, sic accipito, me post diuturnam & grauem ægrotationē, cum Nicēam summo cum Pōtifice essem profectus, atq; imbi ad extremos pene conuentus dies per stitissim, uenisse deinde Carpentoracte, ut res uiserem ecclesiam meam, quam ego cælestē spō sam meam incredibili amore prosequor, ibidēcq; nunc manere, necq; ulla uolūtate esse in Italiā redeundi. Quanq; quid futurum sit, in incerto est. Hie quidem interea in literis assidue uersor, curamq; mihi illam præcipue astumo, ut in tanta sacerdotum inuidia, qua orbis prope terræ in odium nostri concitatus est, q̄cum per humānam imbecillitatē nobis licet, nihil ex me, necq; ex meis sacerdotibus existat, quod non solum nostris, sed uicinis etiam populis & nationibus aut incitamento esse possit ad iracundiam contra nos, aut ad auaritiam & turpitudinē exemplū. Vale, & nos, quod facis, dilige. Carpentoracti s. Cal. Septemb. An. 1540.

Adamus Carolus Damiano a Goes

S. D.

Magnifice & clarissime uir, Domine cū pri
mis

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

mis obseruañ. Commodū apud meaderat Claudius Cantiūcula, cū tuas accepi literas una cum libello de morib⁹ religionēq; Aegyptiorū ab te conscripto, quem ubi Cantiunculæ ipsi, rogatu nimirum suo adductus, legendū dedisse ea conditione, ut statim atq; totum ueluti percurrendo euoluisset, reddendum mihi curaret, tantopere sibi placuisse asseueranter postridie confirmauit facere ut non potuerit, quin alij etiam nostri ordinis hominibus a se lectum impartiret. Quoſane factum est, ut liber is tuus in manibus multorum haud indoctorum uirorū per hosce dies uersans nōdum ad me redierit, cuius tamen legendi cupiditate mirabiliter teneor. Quamuis tancis nunc obruar publicis negocijs præsertim ijs, quæ nobis Hungarici tumultus indies exhibent, uix ut hora uel una in die suppetat, qua legendis istiusmodi scriptis uacare queam. Sed non committam me hercule, quin a me & diligenter & attēte legatur opusculum illud tuum, cum primum ab ijs extorsero, in quorum manibus nunc circumvolitat, auideq; teritur, præsertim cum audierim ab ipso Cantiunculatam profundam in eo libro contineri Theologiam, idq; tam succincta ac dilucida breuitate sententiarum, ut nos qui Christianismum profitemur pudere magnopere debeat, quod ab ipsa Aethi

AD DAMIAN. A GOES

Aethiopum gente, religionis cultum obseruatio
nemq; superari quasi uidemur. Interim tibi ha-
beo & ago immortales gratias, uir clarissime,
idemq; studiosorum omnium patrone incōpa-
rabilis, non solum pro munere illo tuo, uerum
etiam pro literis manu tua tam humaniter ad
me scriptis, quas ego quidem sane instar maxi-
mi beneficij accepi, & pro mea summa in te pie-
tate ac amore exosculatus sum manum tuam,
crede mihi, mirabiliter sane triumphans, quod
me in amicorum tuorum album adscribere di-
gnatus es. Evidem, quod ad me attinet, hu-
manitatem, candorem, magnidecentiam, cāte-
rasque animi tui uirtutes mihi cum Louanij sui
uel unico congressu perspectas, apud omnes
ubiq; deprecare noncesso, sicque omnino iu-
dico, te omnium ferme felicissimum esse, qui
tot nationum moribus cognitis, illustrique pe-
rigrinatione perlustratis regionibus exantlatis
que laboribus, tibi quietem tandem ociumque
longe suauissimum in loco amoenissimo, omni-
umq; quasi Musarum domicilio, constituen-
dum putasti. Quo sane uitæ genere haud scio;
an quidquam beatius esse queat, præsertim tali
uiro, qui in maxima animi tranquillitate penes
se quotidie habeat, quorum doctis sermonibus
suum ipse doctrinam & ingenium oblectet,

i quicq;

EPISTOLAE CLAR. VIRO:

quicq; necq; inglorius ætatem suam consumat,
necq; aulicis negotijs immersus, dignitatis tamē
suæ ita retinens sit, ut apud emneis nominis
sui fama clarus non secus ametur & obserue-
tur, ac si maximorum Regum totius orbis ne-
gotia solus obiret sustineretq;. Sed de his alias
aliquanto latius. Nunc tantū te rogo ut ne gra-
ueris ex me doctissimos & humanissimos uiros
Dominum Rescium, Petrum Nannium, Cor-
nelium Grapheum (quorum ego memoriam
ueluti sacro sanctam constanter conseruo) q;
acuratissime salutare. Nos bellum ges-
rimus cum sceleratissimis hominum monstris,
quorum e manibus nisi Regnum Hungariæ uel
ui uel conditione aliqua eripuerimus, magnum
profecto detrimentum capiet Respub. Christia-
na. Quibus de rebus non dubito te plura ex ali-
orum literis cognoscere. Vale præsiduū decusq;
meum. Date in ciuitate Noua Austriae die 28.
Mensis Octobris. Anno a Christo nato 1540.

Petrus Bembus Cardinalis Damiano a
Goes S. P. D.

Quod librum, qui de Aethiopum mori-
bus a te conscriptus est, legitimam tibi
tam diuturnæ cessationis causam dedisse dicis,
equidem libenter accipio, cum tanto nobis fœ-
nore officium in scribendo tuum repræsentas.

Ves-

AD DAMIAN. A GOES.

Verum quam ego tibi excusationem in eadem culpa afferam, quam non reijcas? Tuam uides licet humanitatem, ne dicā occupationes meas, per quam mihi tecum negligētiorem interdum esse licet. Sed ad librum reuertor, cuius ego exemplum una cum tuis literis Pontifici Maximo sicuti mandas, reddidi, quod illi sunt plane gratum. Perge igitur, & quando ingenio ac usu uales, ad gentis tuæ facta scriptis illustranda aggredere, nec enim est ubi maior atq; uberior oenj fructus tibi constare possit, cum historia nihil fere sit aut ad nominis memoriā stabilius, aut ad posterorum cognitionem aptius, aut ad omnium delectationem iucundius. Vxorem tuam lectissimam atq; optimam foeminam, matrem esse factam, tecq; filiolo auctū, gaudeo & gratulor, atq; illum quem nunq; uidi, quia tam tuus est, & amabilē puto esse, & uehementer amo, ei tu suauium des uelim. Mater ut in scipienda prole fuit, sic in nutrienda atq; augenda felix ut sit, etiam atq; etiam opta. Valete ambo, a meq; saluete. 3. Id. Ianuar. 1541. Romæ.

Ioannes Magnus Gothus Archiepūs Vpſa-
len. Damiano a Goes S. D.

M Agnifice & humanissime domine Dami-
ane amice ac frater charissime, salutem &
æternam felicitatē, literas tuas Louanij 24. præ
iij teriti

EPISTOLAS CLAR. VIRO.

teriti Octobris scriptas proxime elapsis diebus
Romæ accepi, quæ etsi ex solo nomine tuo in
eis subscripto mihi gratissimæ essent, tamē quia
tam pias lucubratioes tuas de Religione & mo-
ribus Indorum annexas habebant, lōge magis,
q̄ scribere possum grātē fuerunt, imo illam de-
plorationem meæ Lapponicæ gentis in ipsa-
rum calce adiunctam tam grato animo excepti,
ut nihil unq̄ gratius. Ostendisti profecto in ea
ipsa Lapponia te esse uerum Christi seruum,
cum eius cultum tam pio studio promouere cō-
tendas. Deinde ueri fratri & amici officium
in me tam cumulate declarasti, ut me ex integer
rimo amico, deditissimum fratrem tibi obliga
ueris. Caeu igitur mi humanissime Damiane,
ne unquam putas me tantam humanitatem &
beneficentiam tuam, obliuioni traditurum, sed
ut ipsam aliquādo meis p̄ijs studijs superare uel
æquare possim conaturum. Cæterum de meis
historijs Gothicis ut cito impressæ promulgen-
tar, nihil adhuc polliceri possum, tum quia in-
certis sedibus erro, tum quia me tenuissimæ for-
tunæ meæ ab illis & plerisq; alijs grauioribus,
p̄ijsq; studijs plurimum impediunt. Quamuis
enim ternis eisdemque urgentissimis literis a
Pontifice Romam ex Venetijs uocatus fuerim,
tamen adhuc toto trimestri hic expectans, nul-
lum

AD DAMIAN. A GOES:

Iam inopiae meæ reueamen inuenio. Spero tam
men breui nonnullam consolationem me asse-
quuturum, at noster Olaus ne librum suum de
mirabilibus rebus & moribus Aquilonarium
regionum imprimi faciat, fere eisdem impedi-
mentis quibus ego labore, retardatur. Is enim
in charta Gothica imprimenda æs alienum ad
trecentos ducatos contraxit, cuius medietatem
adhuc persoluere nequierat, & felicissime uale-
at tua humanissima M. & me ac eundem no-
strum Olaum ut semper facit, diligat. Ex urbe
Roma 1541. prima Aprilis.

Christophorus Madruchijs, Cardinalis
& Episcopus Trideñ, Damiano a Goes
S. P. D.

Literæ tuæ quarto Aprilis Louanij exaratae.
Pridie Calendas Maij per ueredarium Re-
giū mīhi fuerunt exhibitæ. Nam in aula Re-
gia, ut tu existimabas, non dego. Inde factū est
ut Ligur ille, de quo scribis, eisdem mīhi præ-
sentare haud potuerit, quem tamen tui causa si
ad me peruenisset, cupidissime amplexatus fuis-
sem. Quod uero scribis te me amare non pro-
pter dignitatē Pontificiam, nec labētes ciuitias,
sed propter me ipsū, Id mīhi obscurū non fuit,
qui uicissim te amare incepi, & magis magisq;
diligo

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

diligo, non propter generis tui claritatem, non propter stemina tuum antiquum, quod longa serie proauorum laudabiliter ducis. Sed aliud quiddam in te animaduerti, tibi magis propriū, quod me in tui amore pellexit. Imo ui quadam occulta traxit ut te amarem, exquisita scilicet & abstrusa eruditio, genuina integritas, pecusq; illud tuum omni uirtutum genere refertissimū. Propterea non est quod suspiceris Damiani nostri memoriam apud me esse tantillum diminutam ex eo quod ad multas tuas epistolas, quas scripsisse ad me alteris, nihil responderim, quod quasi egre ferre uideris. Tu uide quot miseris & per quos. Ego me duas tantum accepisse affirmo, ad quas copiose rescripsi, ad primam per tabelliones publicos, qui indies ad Flandriam literas ferunt, ad posteriorem uero per Splinterū nostrum, quem literas tibi dedisse non ambigo. Si plures scripseris, interceptae fuerunt. Tu uero mi Damiane, tibi certo persuade me erga te illum ipsum esse foreq; perpetuo, qui fui semper ab ea hora qua mihi notus esse coepisti. Nec credo amicitiam nostram tam labile fixisse pedem ut ex re tam minutula, intermissione scilicet literarum, ad tempus labefactari queat, maxime quum originē sumpserit, non ex Fortunæ blan ditij, sed ex morum & animi similitudine.

Id

A D D A M I A N . A G O E S .

Id quod fortissimum conglutinandę & perpetuo conseruandae amicitiae vinculum existimo. Ceterum quod secunda prole masculina, tam feliciter auctus sis, tibi ex animo congratulor, quemadmodum alias quoq; per literas meas tibi amice sum congratulatus. Quæ tamē prout ex tuis intelligo ad te nondum peruenere. Deus Opt. Max. faciat te corpore uegeto & incolumi uidere filios filiorum tuorum in quartam generationem, id quod virtus tua meretur. Nostrarum rerum hic nihil habemus, quod nō prius per mercatores ad uos deferatur anteq; huc deueniat. Ideo nihil scribo, quum molestum foret ea legere, quæ iam multis diebus in cōpitis uulga fuisse. Splinterum sollicitabis, ut recuperata ualentudine ad me q; primū se recipiat. Cui propterea nihil scripsi, quod sciam uos ambos unum esse. Tu feliciter uiue & uale amicorum cādidissime. Ex Tridecī. 21. Maij. Anno Domini 1541.

Clarissimo doctissimoc; uiro D. Damiano a Goes Ioannes Vasaeus S. D. P.

Multæ & graues causæ hactenus me exhortatae sunt doctiss. idemq; clarissime Damiane uti ad te literas darem, meæ erga te obseruantiae testes. Ut enim silentio præterea tuam humanitatem, probitatē, eruditionem eximiā, editisq;

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

editisq; iam libris celebrem, cæterasq; animi tui
dotes in tam claro nobilicq; fastigio constitutas,
quæ uel ἀμενότατος atq; adamantium plane
ac ferreum possint hominem ad amorē tui per-
trahere, certe beneficia tua, quibus aliquando u-
sus sum, postulabant, ut si nihil aliud saltē gra-
tias per literas tibi agerem, ne in crimen ingra-
titudinis incidisse uiderer. Cæterum uerecun-
dia nescio quæ, uiciofa sane & mihi alias fre-
quenter inutilis obstitit, quo minus quod ani-
mo concipiebam, re ipsa præstarem. Pudebat
me hominem tam tenui uel potius nulla do-
ctrina, te uirum omnibus absolutæ eruditioñis
numeris absolutissimum literis meis laceressere.
Pudebat pro tuis olim in me beneficijs tam ui-
li defungi munere orationis. Pudebat pro cumu-
latissima liberalitate inanem reponere episto-
lam. Atq; hac quidem de causa nunquam offi-
cium meum hactenus pro eo ac debui, feci, tan-
tisper dum Ioannes Paludanus iam olim ab
ineunte studiorum nostrorum cursu mihi con-
iunctissimus continua & maximis hortatibus
hunc mihi pudorem discussit, & ad te ut scribe-
rem per pulit. Ego mi Damiane beneficia in me
tua lubens agnosco, humanitatem tuam deoscu-
lor, uirtutes laudo, eruditioñem prouecta iam
estate tot laboribus sudoribusq; comparatam,
admis-

AD DAMIAN. A GOES.

admiror. Deniqz summa esse omnia in te & ut
deo & libenter confiteor. In me uero necqz eru
ditionem, necqz ingenium, necqz fortunam, necqz
quicqz inuenio, quod tibi uenditem, quoqz me ti
bi commendare possim. Omnia longe infra me
diocritatem consistunt. At porro, amorem mu
tuum, studium, fidem, ingenue tibi profiteor.
Quibus si tu contentus hunc homuncionem in
gregem tuorum no dedignaberis adoptare, ha
bebis Vafæum, quem admodum iam gratum
& memorem, ita perpetuo tui nominis studio-
sissimum, & indefatigabilem laudum tuarum
præconem. Opus tuum de Ioanne Precioso vi
di, & illius lectione sum non mediocriter recre
atus. Admiratus sum in eo doctam styl*i* facilis
tatem, ordinis decorum, histeria*f*idem, argu
menti illecebras. Necqz hercle video, cui possit di
splicere opus tot nominibus commendabile.
Sed quid facias? Nihil unqz fuit ta ad unguem
atque amussim factum, quod omnium stoma
cho satisfaceret. Imo uero is est optimarum re
rum genius, ut paucioribus placeant. At breui
maiore tua gloria tandem emerget ueritas, que
premi quide, sed opprimi nullo modo potest.
Atcqz in eam rem sedulo incubit Princeps no
ster tui & reru tuaru ut paret, studiosissimus.

g k Cæte

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

Cæterū quid agο: iā. n. oblitus mei ita me apud
te gerō, quasi aliquem inter familiares tuos lo-
cum obtineam. Ignosce quæso Damiane inte-
gerrime, si tua fretus humanitate ultra q̄ decuit,
prouectus sum, & me inter clientes tibi deditis-
simos annumera. Vale. Datum Eburæ 15. Cal.
Nouemb. Anno 1541.

Georgius Cœlius clarissimo viro Damia-
no a Goes S. P. D.

EX literis tuis quas proxime accepi, quibus
ad meas superiores respondes, non medio-
crem uoluptatem percepī, quod in ijs opuscula
mea nuper ædita suffragio tuo comprobasti.
Tantū enim tibi, atq; isti clarissim⁹ Louaniësi
Academiae tribuo, ut eti⁹ non paucæ clarissimo
rum uirorum, atq; in his Cardinalium Sadole-
ti & Bembi literæ ad me perferantur gratula-
tionis & laudis meæ plenissim⁹, tamen in ue-
stro iudicio maxime conuiescam. Enītar igitur
quando ita admones, ut expectationi quam de
me concitatam esse scribis, aliquando respon-
deam. Quod uero certior esse cupis de Regis no-
stri in lucubrationes tuas iudicio, scito præcla-
rū exticisse, multaq; honorifice cum forte ades-
sem, de te narrata fuisse. Quę quanta cum mea
uoluptate ipse audierim dicere uix possum. Ego
uero dabo operam ut commentarij rerum no-
stra

AD DAMIAN: A GOES.

strarum qui de meliore nota in manus nostras
peruererint, ad te perferantur, nam & ego
idem saxum iamdiu uero ut aliquid eiusmodi
per me memorie prodatur. Ceterum improbe
nonnulli faciunt, qui cum hinc inde eiusdem ma-
teriae numerosam supellectilem fuerint expisca-
ti, tamen in abdito seruant, nec cum aliquo di-
gnantur communicare. Has literas instate Prin-
cipis nostri profectione, celeriter scripsi, itaque
ubi primum licuerit, longe ubiores expecta.
Vale, meq; in tuis habe. Datum Olyssippone
Idib. Decembris. . 1541.

Beatus Rhenanus Damiano a Goes
S. D.

Quod ad te non scripserim haec tenus, po-
tissima causa est quod Basilienses biblioth-
eces uecti Reno secundo. Pro Tertulliani qui
busdam opusculis commodato, proq; commen-
tarij rerum in Indis per Lusitanos tuos gesta-
rum, cum libello Preciosi Ioannis illius Aethio-
pum Imperatoris religionem institutac; conti-
nente, dono ad me missis maximas tibi habeo
gratias. Rem dignam te suscepisti, tales histo-
rias Latine uertendo, ne nos etiam ultimae gen-
tis bella ac mores laterent. Diu scire non potui
ubinam cum uxore tua domiciliū fixisses. Tan-
z k ij dem

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

dem intellexi te Louanijs agere. Precor tibi tuis-
que omnia felicia. Vale Damiane clarissime.

Dat. Selestatij 1. Cal. Apriles, Anno 1542.

Damianus a Goes Io. Iacobo Fuggero S.

EX tuis literis amantissime Iacobe cognoui
te febri correptum fuisse, ab eademq; mo-
do liberatum, quod nuntium eti mihi satis æ-
grum fuerit, inde quod morbum tam tetricum
sustinueris, tamen gratum, cum intellexi te peni-
tus ab eius tyrannide evasisse. Quod autem ait me
parum amice in Munsterum hominem mihi ut
cunq; cognitū debacchatum esse, te iudicem in
hac causa eligo, & quid, cū laudes & ubertatem
Germaniae, uti nos Hispaniae, scripturus essem, in
eum, tibi dicendum esset cogita, qui nulla causa
urgente, Hispanos famelicos, de alieno semper
saturos, in peregrinos homines duros, feroce,
ac immanes, nec non imperitos, ingenio infeli-
ces, arrogantes, iactabundosq; uocasset, quibus
notis Munsterus gentem nostram inuasit. Ego
vero contra, dum nostros defendeo, quid feci aut
commisi, Germanos profecto & Gallos non in
genere, ut ipse Hispanos, laedo, sed in specie tan-
tum, & in harum prouinciarū famulos & gna-
thones solum quasi ioco ludens, meam defensiun-
culam emisi, ipsumq; Munsterū uitrum bonum
prædico, quem tantum moneo, ut post hac cau-
tius

AD DAMIAN. A GOES.

tius scribat, & ea quæ cōperta habuerit, solum typis mandet. Quod si fecisset, nō tot mendacia & de sua quoq; Germania suo Ptolomeo inseruisset, omitto alios libros de Christi fide loquentes, quos ipse euulgauit, qui adulterini & ficti-
tij a multis iudicātur, res sane si sic est nō admodum pia, nec Christiano homine digna. Hęc oīa
tibi amantissime Ioan. Iacobe retuli, ut scias me latius in Mūsterum stomachari potuisse, quod
sane fecissem, nisi esset homo Germanus, in Ger-
maniæ natus, quam gentem & prouinciam,
ego tanquam numen semper ueneratus sum, &
in qua eximios amicos habeo, quorum amicitiā
sanctissime inuiolatā mihi & uolo, & perpetuo
seruatā cupio. Ceterum quod ad librū Lusitanias
cū attinet, uidi quę scribis, pro quibus tibi gra-
tias ago maximas, librū enim egomet apud Peu-
tingerum uidi, & truncatim legi, qui re uera ei-
cum linguā nostram ignoret, minime usui est:
Quare te iterum atq; iterum oro, ut uel librum
ipsum mihi impetres, uel eiusdē exēplar unum,
quod si feceris, historiæ nostræ, quam in mani-
bus de rebus Indicis habemus, magnum adferes
adiumentum, & nobis facies rem, pro qua tibi
perpetuo deuincti erimus. Vale, & nos ut facis,
ama. D. Antonium Fuggerum nostro nomi-
ne saluta. Louanij 11, Aprilis, Anno 1542.

Io.

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

Io. Iacobus Fuggerus Damiano a Goes
S. D:

NOn opus erat apud me ulla excusatione
Damiane amicorum amicissime, quod pa-
rum amice te in Munsterum stomachatum esse
scripseram. Id enim ex amicitia & uere syncero
animo, quo erga te semper hactenusfui affectus,
factum esse credas uelim. Ignorabam etenim
ipsum Munsterum tam atrociter in Hispanos
debacchatum esse, idqz nunc etiam miror, cur
ausus fuerit in illam tam uberem & præstātem
occasus regionem, quam ipse nunquam uiderit,
in qua nunqz peregrinatus sit, tam atrociter pre-
ter ullam occasionem, ignorans omnium rerū,
ita temere inuehi, ut interim taceam qua temeri-
tate in euulgandis adulterinis fidei nostræ li-
bris (ut scribis) usus est. Vt ita re cognita te non
solum excusatum, sed ipsum etiam ob insiginem
eius temeritatem plane odio habeam, & omniū
doctissimorum virorū acerrimo stylo perstrin-
gendum iudicem, qui non solum de ih̄s que non
uiderit aut expertus sit ita audacter & temere in
publicum proferat, sed etiam ea que ad sacro
sanctæ fidei nostræ sustentationem & augmen-
tum pertinent, adulterari non uereatur. Sed ui-
des & ipse cognitum habes, quam peruersa ali-
quot annis fuerint secula, ut nedum dicere, sed
&

A D D A M I A N . A G O E S .

& typis cōmittere quæuis somnia nonnulli ausi
sint. Deus Opt. Max. faxit ut propediem me-
liora sequantur. Cæterum quod ad librum Lu-
sitanicum attinet, sedulo equidem egi cum Pen-
tingero, ut mihi eius copiā faceret, idq; tandem
impetraui, ea tamen conditione ne cuipiā osten-
derem, neue rescribi quicq; curarē, quod sane pol-
licitus erā, eām solam ob causam ut quē tanti fa-
ciebat librum nō intellectū viderē, uidi, & mox
ut fidem dederā, ne quitq; suspicari possit, resti-
tui. Nostī opinor hoīem, decrepitum, antiquita-
tis & raritatis studiosum, qui ob eam causam li-
bro ut arbitror non intellecto delectatur, quod
prēter se neminē habere credat. Agam tamen se-
dulo, ut si quidq; impetrandum est a sene, hunc li-
brum eliciam, faciamq; pro uiribus ut meam
in hoc negotio diligentiam & sedulitatem non
defuisse intelligas. His te cum coniuge q; optime
ualere cupio. Ex Augusta s. Maij.

1542.

Beatus Rhenanus Damiano a Goes

S . D .

C V ihas commisi reddendas tibi , mercator
Cest, ciuis meus, qui annis superioribuse Se-
lestadio te ad uicum D . Nicolai in Lotharin-
gis usq; prosecutus est , uir certe bonus & iure
sacrosancto mihi iunctus, quippe cuius filiam e
sacro lauacro susceperim. Is quia aiebat se Loua-
nij

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

nisi dies aliquot commoraturū negotiorum causa,
nolui eum absq; literis meis istuc ire, quibus
saltēt me tibi commendarem, homini tam bene
de me merito. Arbitror te Louani agere cum
uxore & liberis, nisi falsa narrant qui istinc ve-
niunt. Precor autem tibi tuisq; multam felici-
tatem. Hic nunc omnia sunt in motu propter
bellum Turcicū quod apparatur insolito Ger-
manis sumptu. Deus Opt. Max. tueatur rem
pub. Christianam. Incertus sum an hæ literæ
ad te sint peruenturæ, idcirco brevior sum. Vale
uir modis omnibus ornatissime. Dat. Selestadij
die 21. Maij, Anno 1542.

Guilielmus Zenosarus Agrippa Damia-
no a Goes S. D.

Magnifice & excellentissime D. Damiane,
cum omnium excellentium & maxima-
rum uirtutum admirationem in te conuerteris,
mirari non debes me amicitiam benevolentiacq;
uenerari tuam. Ea est enim naturæ uis, ea mens
ratioq; animi prudentis, ut quarum artium di-
gnitatē adamamus in quibus uiris ea dignitas
illustris est, eorum gratiam amoremq; concilie-
mus. Vides etiam quāta gloria fruare, & quam
omneis qui in aliquo laudis ambitu uersamur,
familiaritatem tuam non modo retinendam, ue-
rum etiam acquirendam putemus, ut ecclsi huius
mei

AD DAMIAN. A GOES.

mei facti rationem causamq; tibi non probem;
tamen ipsa satis pro se res loquatur, quamob-
rem ad te colendum atq; amandum accesserim.
Quam meam uoluntatem illustrissimus domi-
nus a Prato nostrorum temporum Pericles, ac
D. Ioannes Stratius perpetua laudum tuarunt
prædicatione ita impulerunt & inflamma-
runt, ut in criminis loco ponerem te non salutas-
se. **Q**uocirca & quoniam hoc primum deferens-
di studij mei tempus nactus sum, petam a te ut
inter alios nominis dignitatisq; tuæ amatores
admitti atq; referri queam. Ac ne plane hoc te-
mere ac sine ullo militiae nostre auctoramento
facere me putas, si quid est quod in Angliam
perferri uelis (quia illuc mihi ante octauum Ca-
lendas Sextileis proficiscendum est) incubam
in eam curam & cogitationem ut gratissimam,
& benevolentia tua dignissimam uoluntatem
meam experiaris. Vale Bruxellæ 4. Id. Quin-
tileis.

154.2.

Tidemannus Gysius Epūs Culmensis,
Damiano a Goes S. D:

Quem putarem iam obsoleuisse apud te
mei memoriam vir clarissime, afferuntur
ecce nudius tertius literæ tuæ, uerum non sine
sœnore, nam significabant inter has moras pa-
trem geminæ prolis masculæ te esse factum, &

¶ I de

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

de rebus Aethiopicis atq; Hispanicis libellus es-
rat additus, quem iure poteras tertiam prolē ap-
pellare, non ignobilius referentem te patrem, q;
illi ex nuptijs nati liberi. Ut uero maxime uel-
lem post ruptum silentium scenus scenori repo-
nere, una in parte non possum, in coelibatu con-
senescens. In altera cum non desit quo tibi re-
spondeam, accipe libellum qui nuper mihi aliud
agenti excidit, uel potius extortus est, Valebit
ipse ut Damianū meum olim soporatum exper-
geficiat, post emittetur alia elaboratoria. Equi-
dem gaudeo te & familia & literarum opibus
fieri indies beatorem. Quibus tuis commodis
si accedere quicq; ex mea cura & opera potest, sen-
tias me nulla in re alia liberaliore. Felicē tuam
amplitudinem esse & optime ualere opto. Ex
Castro meo Lubauiensi, die 22. Octo. An. 1542.

Ioannes Magnus Gothus Archiepiscopus

Vpsaliensis Damiano a Goes S. D.

Generose & magnifice Domine Damiane,
Frater & amice charissime, iam quartus a-
gitur annus postq; summus Pontifex me ex iti-
nere Germanico, quod ex Venetijs institueram,
ad urbem Romam vocauit, præfatus se ma-
gna aliqua negotia tecum agere uelle, antequā
in Germaniam descenderem. Interea tamen hic
nimis ociosus uixerā, nec mihi, nec populo Chri-
stiano-

AD DAMIAN. A GOES.

ftiano meæ curæ commisso utilis. Iam enim or-
et auum annum ago postq; ex Gedano ad Conci-
lium Mantuanum uocatus exiui, quibus annis
per Italiam iactatus , multos graues & fere in-
tolerabiles casus sustinueram, ut fidei Christia-
nae ubiq; vacillanti, aliqua mea opera consulere
possem. Et hæ turbationes in causa fuerunt cur
ad V.M. aut alios amicos nihil literarum de-
derim. Nec minus interea dolueram de aduersi-
tatis casibus Mag. V. quam intellexi ad grauem
captivitatem in Franciam abductā & non pau-
co ære inde absolutam. In patria mea Catholici
tentauerant aliquoties Lutheranam feuerita-
tem a suis ceruicibus excutere. Sed abdito Dei
iudicio adhuc durum illud jugum sufferre co-
guntur. Hic uero Romæ nullam aut paruam
spem pacis habemus; fluxa est fere ubiq; Princi-
pum fides; ideo nihil boni nobis polliceri vale-
mus. Negliguntur diuina mandata , imo con-
temnuntur, & blasphemantur , & non raro ab
illis qui tenerentur uitam & sanguinem pro di-
uina lege exponere. Cæterum dignetur M. V.
me suis literis instruere de rebus & bellis Aqui-
lonaribus, ut sciam si forte in regnis illis aliqua
spes emergere possit, circa restituendam Chri-
stianam religionem , felicissime valeat M. V.
quam & ego Olaus Gothus qui has scripsi fin-

ꝝ 1 ij cerissi

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

cerissime saluto, nomine etiam nostro salutetur
clarissimus vir D. Splinterus, cuius literæ si quā
doquidem de nouis Aquilonaribus ad domi-
num meum allatæ fuerint, gratissimè erunt.
Romæ 2. Maij, Anno 1543.

Io. Jacobus Fuggerus Damiano a Goes
S. D.

Qvas ad me dedisti literas una cum Petri
Nannij libellō accepi, nec sine magna re-
creatione perlegi, quod ex uariorū & multo-
rum diuersis sermonibus tandem ueritatem eli-
cere potuerim, nec minori uoluptate tuę capti-
uitatis libellum lecturus sum. Imo eo maiori
multo desiderio, quo grauiora timui. Quare ut
ad me q̄primum excusa fuerint transmittas, te
magnopere rogo. Ego uicissim quo ad fieri po-
terit, omnem lapidem mouebo, ut Pentingeri li-
brum acquiram, quem sane etiam non intelle-
ctum magni facit, & estimat, quod si precib⁹
impertrare nequit uero, conabor quoquis modo
emungere senem. Si deniq̄ omnis spes me fallit,
unicum restabit remedium, ut differatur nego-
tium ad mortem senis, qui iam alterum pedem
in sepulchro habet. Vtinam tam facile possem
impertrare, q̄ maxime tua causa id cupio, & o-
mnem diligentiam adhibeo. His bene ua-
le ex Augusta 4. Decemb. 1543.

Petrus

A D D A M I A N . A G O E S .

Petrus Bembus Bernardino Sandrio
S. P. D.

Quod hodie mane quæsteti tibi a me de il
lis Ciceronis ad Trebatium uerbis, Tre
uiros uites censeo, asidio captales esse, mallem
auro, argento, grecis essent, respondi iocum esse
& multiplicem & festuum, qui quidem iocus
in antiquis & numis & scriptoribus deprehen-
deretur. Itaque quoniam eramus in via, ut neque
libros necq; nummos haberemus, reieci te in alium
diem, id ne te diutius torqueat, est eiusmodi, ut
ioci causa, quod quidem Cicero ad illum scri-
bens more suo fere semper facit, & Treuiri &
Capitaless in ambigui genere sint posita. Nam
cum uideatur monere illum, ut uitet Treuiros
Galliae populos, qui Capitaless bellicosiq; sunt,
Iudit cum in Treuirorū, tum in Capitalium uer
bo. Erat enim Romæ Magistratus Triumui-
ri Capitaless, qui etiam Treuiri dicebantur. Sed
quoniam hoc ipsum Triumuirum nomen ite-
rum in ambiguo ponи poterat, cū essent etiam
apud Romanos Triumuiri pecuniæ cudendæ,
quos ita inscribebant A. A. A. F. F. hoc
est auro, argento, ære, flando, feriundo, iocatur
iterū hoc in uerbo, iudicq; Cicero, ut mihi qui-
dem uidetur, bellissime addens, Mallem Treui-
ros istos esse pecuniosos, q; bellicosos, ut Cesa-

re

EPISTOLAE CLAR. VIRO.

re eos uincente tu ditesceres. Itacq; infert, Mal-
lem esse Treuiros auro, argento, ære, q̄ scilicet
Capitales. Triumuiros autem etiam Treuiros
solitos dici, unus Liuius satis locuples esse testis
potest, cuius sunt hæc in libro quartæ Decadis
decimo. Colonia Grauisca eo anno deducta est
in agrum Etruscum, de Tarquinienibus quon-
dam captum, quina iugera agri data, Treuiri
deduxerunt, C. Calphurnius Piso, P. Clau-
dius Pulcher, C. Terentius Hister. Quod ue-
ro Triumuiri pecuniæ cudendæ, sic ut dixi, in-
scriberentur, est apud me numus æreus peranti
quus, ita scriptus C. PLOTIVS III
VIR. A. A. A. F. F: Sunt & alij nu-
mi aliorum nominum, eiusdem tamen tituli,
quos inspicies, cum uoles. Hæc ad te scri-
psi, cum domum redijssem, & numos
ac libros sumptissim amore
tui admonitus. Vale
pridie Idus Iun.

1529.

Patauji.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O.

P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.

a. b. c. d. e. f. g. h. i. g. k. g. l. k. l. m. n.

Omnes sunt duerniones, præter Sternionem:

{

FARRAGO
CARMINVM CLARISSI-
morum virorum ad Damianum a
Goes Equitem Lusitanum.



XENIA SA

TVRNALITIA CORNELII
Scribonij Graphet.

CORNELIUS SCRIBONIUS
Grapheus, Damiano suo S. P. D.

Concelebrabant olim Veteres festa Saturnalitia, ad 14. Calend. Ianuar. Quibus (cætera prætereo) amicus amiculo mutua missitabant munera, Xenia, Apophoreta, Strenas nominabant, qui mos apud nos quoq; antiquitatis suæ quædam reliquit uestigia. Is ipse hodie nobis agitur dies. Ipse itaq; amicus, tibi amico, & qui dem summo, Saturnalitia hæc mitto Xenia, nempe tuam ipsius imaginem, non perituro quidem terrena materiæ colore, non ex anima luum caudis collecto penicillo, sed immortaliter carminum deliniatura, quali quali uides arte, nostræ Camcenæ manibus depictam. Nam quid aptius, quam tibi teipsum mittere potui? Id (precor) fausti sit omnis, tibiq; gratum, ingratum autem esse non debet, sancta Cronosolonis lege, qua iubetur, quicquid ab amiculo mittitur, qualecumq; sit, id magnum duci debere. Sed contraho uela, alia siquidem lex est, que prolixius scribere uetus, ea sic inquit, De muneribus quam modestissime simul, & quam paucissima herba finto, iugur uale.

Antwerpiae, e nostro museo, Pridie Thomæ Apost.
hoc est, ipsis Saturnalibus,

• 530 •

Distichon.

Munus id exiguum est, animus sed maximus, etia
Non munus tantum, ast ipsum animum inspicias.
Pictu

PICTURA ILLVSTRIS DA
miani de Goes, Equitis Lusitani, Per
Cornelium Scrib. Grapheum.

C Vius imago isthęc, placido subpallida uultus
Ridet purpureo suauis in ore rubor.
Frons lęta, exorrecta, alacris, dulcedine quadam
Prę se fert puri pectoris indicium.
Blandi oculi, bene nigri oculi, coma nigra, capillis
Subcrispis, nigro barba colore decens.
Pręgraciles malę, gracile est a pectore collum,
Sunt graciles digiti, sunt gracilesq; manus.
Stat bene compositum iusto moderamine pectus,
Stat bene compositum parte ab utracq; latus.
Cetera sic constant, ut nulla aut addere quidq;
Ars queat, aut quidq; demere iure queat.
Ecquis hic est? agedū, Bonus est Damianus, amico
Quem uersu toties Musa Graphęa canit.
Ille, inquā, ille, ut nūc ita & olim in sęcula multa
Et passim, & largo dignus honore coli.
Dic patriam, patria est bona Lusitania, Regum
Altrix, magnanimum dote superba uirum.
Tatus apud Regē est, Regi ut necq; gratior ullus,
Nec mage sit charus, nec mage cui faueat.
Nil est cāndidius, nil est humanius illo,
Nil ciuile magis, nil magis est lepidum.
Omnibus est charus, nulli non gratus, ubiq;
Omnibus expositus, nil nisi delitiæ.
Nil nisi amicitiæ, nisi munificentia, & idem
Vnicum amicorum präsidium, atq; decus.
Syncerus, simplex, indissimulatus, apertus,
Omni fraude procul, duplicitate, dolo.

kij

Con

FARRAGO : CARM.

Constans, magnanimus, iucundus, laetus, amico
Semper uultu alacris, tristitiaq; carens,
Erga omnes facilis, comis, blandusq; benignusq;
Et ueri obseruans, & fidei usq; tenax.
Idq; adeo, ut passim Damiani nomen in ore
Sit cunctis, passim te Damiane sonent.
Mirum hominem nobis pingis, Sed dicio quenā
Hæ Nymphæ, circum quas uideo esse virum?
Prima ista, est Virtus, Dea maxima, & optima, tñ
Quæ decorat tantis dotibus alma virum.
Porro autem hæc Ipsa est humana industria, mire
Quæ iuuenilem animū prouehit, auget, alit,
At uero ista quidem diuina est Musica, dulci
Atq; homines cantu quæ mouet, atq; Deus.
Hac tantū ille ualet, siue artis munera species,
Seu species dulcēis uoce canente modos,
Ut facile aut reliquos longe præcellere possit,
Aut saltem assuetis æqui parare uījs.
Plurima composuit, uel diuum aptissima templis,
Vel thalamis, iuuenium uel recinēda choris.
Quæ (bene si attēdas) aut summo autore projecta,
Certe aut losquinum composuisse putes.
Stabit perpetuum Damiani Musica in æuum,
Dicent illius plurima sœcla melos.
Quid sibi inaurato testudo hæc aurea plectro?
Quid sibi multiplici symbala clave uolunt?
His ille huc illuc modulanti pollice ducto,
Et lepidum, & doctum se probat artificem.
Ceu quondam Anphiō, ceu quondam eagrius Orpheus,
His quercus, dura his saxa mouere queat.
Vnde tot illi artes? Nil non fœliciter audet,
Vsque adeo est facili præditus ingenio.
Ecquid

AD DAMIAN. A GOES:

Ecquid librorum sibi uult hæc copia circum?
Picta quibus late pulpita onusta facent.
His (ubi crebra sinunt, & magna negocia) totas
Incubit nocteis, sedulus, atq; dies.
Ergo etiam, præterq; sit Musicus, (istuc
Nam rarum est) se ad γράμματα culta dedit?
Imo dedit, ualido uelsam proiectior æuo,
Et ferme ætatis flore a beunte leui.
An ne uitrum puduit pueroru intrare labores,
Et sudare leui in puluere grammatices?
Haud puduit sane, at contra sibi duxit honori
Non modico, e paruis magna oritura sciens.
Scilicet antiqui non immemor ipse Catonis,
Qui Græca occepit discere uerba, senex.
Nec male successit, triujs mox ipse relictis,
Disciplinarum se ad genus omne tulit.
Et sacra pimplæi concendens culmina montis
Pieridum est ausus se insinuare choro.
Quis docuit: su^o iste Grapheus. Quis duxit in alti
Pimplæi montis culmina sacra? Grapheus.
Vnde illi nomen Damiano? Græcula uox est,
Aptior haud potuit tradier illa uiro.
Ecqui isthuc? Ea uox & τόνος est deducta λαγκάρη
Quod Romana quidē lingua domare uocat.
Qui uero id nostro quadrat Damiano, age: Miris
Officijs homines q; domat, atq; Deos.
Quis pinxit? Suus iste Grapheus quoq; scilicet ille
Nouit qui & uersu, & pingere peniculo.
Quis tabulā aptauit? Musæ. At q; (dic mihi) ligno?
Cedrino. Aeternum permanet ergo? Manet.
Fœlix ille igitur, cui scilicet omne per æuum
Haud moritura adsut, Gloria, Fama, Decus.
O salue,

FARRAGO CARM.

O salue Damiane, uirum multo optime, nostri
Salue saecli ingens o Damiane decus.

TÉΛΘ.

Tetrastichon.

Non mala blandities, non assentatio uana,
Verum hæc syncerus scribere iussit amor.
Vera quidem hic scribo, si cui non uera uidetur,
Vel certe est cœcus, uel nimium inuidulus.

¶ Grapheo suo.

Sic ego pro meritis tibi doce Graphē tenebor,
Dum petet Oceani Scaldis amœnus aquis.
Ut magni per te mihi conciliantur amici,
Spe fateor longe maius id esse mea.
Primus amicitiae mihi foedere iungeris arcto.
Hoc factum nobis crede fuisse satis.
Quod nunc accedit Damianus imagine auita
Clarus, at ingenio clarior ipse suo.
Cædor is est placidi quo nos complectere amoris,
Dij faciant tibi nos reddere posse uices.
Berthramus Damus tuus.

Ad Damianum Goium Musicum Resendius.

Elige utrum mauis horum te nomine dici,
An Phœbi, aut Orphei, dulcis uterque modis.
Aut (si non spernis genus) a quo Musica primum
Inuenta est nobis sis Damiane Tubal.

Xαῦψ.

L. Re

AD DAMIAN. A GOES.

L. Resendius Damiano Gois suo.

Hæc Damiane mihi uisa est nox longior iste,
Quam Iouis illa malo conscientia adulterio.
Aduentus quum latet tui mihi epistola primum
Perlata est, multo me mihi amabilior.
Iam sol Oceani liquidas intrauerat undas,
Furuaq; nox pigrum iam caput extulerat.
Cynthia abi, dixi, tenebræ properate molestæ,
Incipe Pallantis gnata referre diem.
Inclamassem tamen rutilam Pallantida frustra
Nil mihi, nil Phœben profuit, aut tenebras.
Omnia surda mihi, tum nocte exire negatum,
Quum tribus atra silet ianua clausa seris.
Liminaq; ante cubat, pandens tria Cerberus ora,
Fallere quem magnū est, Herculeusq; labor.
Consulit ante Iouē internū, petit Aeacon, umbrā
Si quam exire iubet, quæq; sit illa rogat.
Hæc miseri nunc uita tui Damiane poetæ,
Lucius hoc pacto uiuus adhuc moritur.
Ut scelus hoc, dulcem qui spernere libertatem
Instituit primus, sub stygis amne luit.

X^ope.

Resendius Damiano Gois.

Tu Cydonia pinsita ebosita
Misisti Damiane, cui supellex
Multo est diuinitor, beatiorq;
Nos e frigidulae penu Thaleiae
Carmen mittimus, ut solent poetæ.
Mi Cydonia, saccarumue, melue,
Nec quæ plura alia incitant palatum,
Sunt, sed carmina, carmina ergo mittit.

Quæ

FARRAGO CARM.

Quæ commercia si iuant, licebit
Per me hercle ut repetas Goes amice
Sæpe, sæpe & usq; & usq; usq; xæpe.
Vale.

L. Andreas Resendius nobilis Damiano
Goi.

Estis porro Dei, uosq; hominum pia
Tangit cura, Goem qui incolumem mihi.
Extremo a Tanais fonte, pericula
Inter mille reducitis.

Inter Sauromatas barbarie truces,
Sæuumq; Heniochum, qua Boreas mare
Non mitis glaciat, permeat & Scythas
Concretam undam Aquilonib.

Inter tot populos, qui neq; numina
Diuorum metuunt, & de nec abstinent
Atroces animos, bilis ubi impulit,
Et ferri furoq; im potens.

O ter fausta dies, nobilioreq;
Thressa digna nota, qua Damiane ades
Ursis a gelidis o mihi calculo
Describenda smaragdino.

Cornelius Grapheus Clarissimo Damiano
Goi Lusitano, nomine Regio ex Scythis re-
deunti.
Venisti Damiane amice, tandem
Venisti, nimium usq; & usq; & usq;
Expecta-

AD DAMIAN. A GOES

Expectate tuis, datur tueri,
Et uultus iterum tuos, & illa
Rut sum audire tua, o amice, uerba,
Dulci nectare, melle, saccaroq;
Bis, ter, crede, mihi suauiora.

Ah quæ te tenuere amice tantæ
Moræ? ah qui potuisti amice, qui nam
Tam longum potuisti abesse amicis?

Ecquî nam potuisti amice tantum
Inter tam illepidas manere genteis?
Genteis prestupidas, feras, agresteis?
Nimirum Scythicasq;, Gothicasq;,
Tu totus lepor, elegantiæq;.

Eheu quam timui anxius, ne in ista
Longa & difficulti profectione
Quid mali accideret tibi, O quot, o quæ
Toto pectore, supplaci rogatu
Fudi uota, Deos subinde crebris
Obtundens precibus, mihi meas te
Primas delicias, patronum, amicum,
Seruatum incolumi darent regressu.

At bene est, Superi audiere tandem,
Audiere pñ, audiere nostrum
Et desiderium, & pios precatus,
Te nobis reducem dedere, nobis
Dedere incolumem, & dedere saluum.
Iam contingo tuam, o amice, dextram,
Complexu teneo te amice, tecum
Iam nunc colloquio fruor cupito,
O, o lætitiam, o alacritatem,
O lucem celebrem, o diem beatum.

FARRAGO CARM.

L. Andreas Resendius, Damiano Goi
S.

Exemplo Damiane malo, qui primus in aulam
Duxit Apollineos uates, fecisse uidetur.
At tamen exemplo multo peiore poetæ
Iudicio fecere meo, qui regib. illa
Otia musarum spe prodegere lucelli,
Siue illi adducti, siue inrupere coacti
Pauperie. Quorum uitæ tamen error agenda,
Hoc tolerabilior, quo forsan iniquior ipsa
Sæuunt in quemq; aduerso Rhamnusia uultu.
Ecquid enim miseros suadere domestica pestis
Paupertas non possit: ei nec Apollo negaret
Consultus ueniam, ueteris nec uallib. Alcræ,
Nec bonus Aonidum sacro interdiceret amni.
Ast ego, cui, quanquam non diues, & in tenui re
Sum modo, & ante fui, usq; adeo male nō fuit unq;
Ut saltem uitres cyathi, purumq; falillum,
Cädida mappa, tripes deesset mihi mësula, & horti
Copia læta mei, quonam Damiane piabo
Thure, quod exosa uiuam patienter in aula?
Quum tamen his illis que non fortuna negauit,
Suauiter, & curis uacuus, bene uiuere possim.
Possum equidem Damiane, tamē me sœua meorū
Solicitudo premit, quib. ut paulo & decus, & res,
Fors magis augescat, coniecí memet in aulam.
Ni faciam id, clament omnes me protinus hostem,
Et desertorem consanguinitatis. at illi
Ipsi qui sese desertos esse querantur,
Si mihi lar friget, loculis & squalida mëret
Non nunquam exhaustis raro nidoce culina,
Non magis aduertant, ea siue incômoda prësent,
Quam

AD DAMIAN. A GOES

Quam si aleret uentis, matutinae pruina,
Roreue deciduo, noui, experiorum subinde.
Et tamē hæc' animum induxi perferre, patiqz,
Nescio quam prudens, certe pius, & pius ultra
Quam teneor. nam nec superest sanctissima mater
Nec genitor, raptus quum uixdū bimulus essem.
Ipse autem cælebs, & musis aptior orbus,
Non male uixisse peregrī, quando otia doctis
Docta uiris nunquam dat Lusitania nostra.
I, miser, & libros sepeli, contemne Thaleiam,
Aula frequentanda est. ueniat te nullus in illam
Mane prius, nullus redeat te serius inde.
Fac regem uideas, nec tu nisi uisus abito.
Interea expectans, dum non admitteris intro,
Illic contracta malas oscedine rumpe
Marcidus, aut ungueis cultello rade. nec illis
Qui prope te sedeant, risu si forsitan atro
Quem ridere uolent, contrarius esto, sed auge
Nonnihil, ijs ipsis post id fabella futurus.
Hoc tibi sit studium, uita hac adolesce, seneqz.
Dixerit heic aliquis, bene habet, patet ergo poetis,
Et doctis patet aula uiris. patet Hercule. Sed quid
Prodest maiestas, non usus queritur illis.
Et si maiestas, non usus, scire uelim quæ
Emolumenta miser possit sperare poeta,
Præter nescio quem forsan splendoris honorem,
Esse puta notum, & proceres numerarier inter,
Ut summum, sed si census tibi desit auitus,
Fortiter esurias, esto tamen aulicus, atqz
Spe blandire tibi, serui spe, spem tere longam.
Lusit at egregios lepide spes ista poetas.
Postquam nummiuori legum iurisqz tyranus

FARRAGO CARM.

In regnum & reges regnum obtinuere, poesis
 Pessum iit, eloquijq; decus, sophieq; forenses
 Vulturij pressere iugo. res digna perenni
 Contigit historia nuper. non ambigis ipse
 Regib. ut faueat cunctis magis omnibus unus
 Diuus Ioannes, si premia ponere doctis
 Obscenæ hæ sinerent harpyie, hæ rereq; uates
 Parte in nonnulla humane paterentur, haberent
 Ut uel postremas, primæ queis iure darentur.
 Ille suo ingenio in sophian propensus honestam,
 Quidquid Aristoteles argutus, quicquid amœnus
 Dixerat ante Plato, mire cognoscere auebat,
 Ut melius quo nam pacto foret ipsa gerenda
 Publica res, sciret, consultis utpote libris,
 Fallere quod nequeant, quod non adfectib. ullis
 Subcumbat, quod nil sperent, metuātue, nec equū
 Calliditate mala faciant uideatur iniquum.
 Ergo adsumptus erat, qualem decet esse magistrū
 Discipuli, qui uis diues timet India nutum,
 Atq; dies aderat cœptis ingentib. ante
 Dictus, & hora, suæ metuens quū prouida parti,
 Factio quæ leges, uili quæ nundinat ære
 Iura sacra, inrumpunt, ecque portenta rogabant
 Illa forent? ecquis terre pelagiq; potentem
 Discipulum faceret? quæ carnificina sophorum
 Tanta erat, ut reges etiam cruciare tremendos
 Auderet, sine fruges quasi tum deniq; reges
 Vllum operæ facerent pretium, si nomen Achææ
 Dent sophie, aut chartis se tristib. usq; fatigent,
 Aut quasi Nicomachi prolesue, nemusue Lycæi
 Quidquā conferrent, Academi aut uillula, præter
 Argumentosas nebulas, comitemq; tumorem.

Esse

AD DAMIAN. A GOES.

Esse satis regi, iuris legumq; peritis
Fidere, regnorumq; illis committere curam.
Quod si tantus amor studiorum, tanta libido,
Iura legat potius, sapiens quid Bartolus aiat,
Quidue sagax Baldus, uehemēsc⁹ Accursius. horū
Quod responsa trium Phœbei sortibus antri
Certa magis soleat rabularum credere uulgas.
Deniq; uicerunt, quamuis non quatenus ipsi
Optabant, uiscere tamen, secumq; triumphant
Eualuisse ducis firmatam auertere mentem.
Hæc ubi barbaries, ubi monstra, ubi talia morum
Sunt portenta, quib; tantum licet, & licet ultra.
Viuere mene iuyet: uiuat heic Chœlius, uni
Cui uatum placet aula, decus, nomenq; poetæ
Quod cupit, amotis habeat riualibus unus.
Nos aulæ nostrū hunc certe præponimus Ossan,
Ossan dena mea distante millia ab urbe,
Mentitum adspectu faciem Sulmonis aquosi.
Et si seruitio me exire liceret honeste,
Huc ego quando aliud iā non datur, huc ego saltē
Confugerē, & suauelis peterē mihi mōte latebras,
Nunc cerasorum inter lucos, umbrosaq; tempe,
Nunc rīguis inter lætus conuallib. hortos
Citriferos errans, in carmina s̄epe Bimatem
S̄epeq; Latoiden in carmina compellarem.
At modo, uix toto uersum componimus anno.
Et nisi me redimo, uideo Damiane futurum
Omniō ut pereat, quanq; non aurea, Luci
Vena tuī, certe nec plumbea, me nisi forte
Plus amo quā credo, & sane si deniq; tandem
Dij facerent, ut me absq; nota leuitatis iniquis
Eripere his possem satis, & liber abire,

Nom

FARRAGO CARM.

Non sine me socio tu nunc Antenoris urbem
Incoleres, tecum Liui memorabile bustum
Visere, tecum etiam Pataui lxx tissima rura
Aut manno celeri, aut cisio peragrate uolanti,
Dulce foret, nunc aduerso me flumine uectum
Vicini Eridant, uatum figmenta notare.
Iucunda, Heliades qua diriguisse ferantur
In ripa moestæ, quanam Stheneleius heros
Casum infelicis pueri dum fleret, olorem
Versus in argutum, niueas adsumpserit alas,
Nunc prono Hadriacas Bræta descendere in undas,
Litoreq; Euganeo peruestigare Tymauï
Hostia num maneant, exstent num montib; illis
Fluminis ora nouem dio celebrata Maroni,
An magnum usq; adeo tellus absorpsit amnem,
Ut ne parua quidem superent uestigia, quantas
Voluerit undarum uasto cum murmure moles.
Hanc Damiane puta ueram me credere uitam,
Vatib; hanc dignam mentis melioris, eaq;
Posse uia famæ decus immortale parari,
Non inter sumos uentosæ nobilitatis,
Atq; palatinos scurras, urgere senectam
Morosam ante diem, inuitosq; adcertere canos,
Languidulosq; pati ingenium sordere ueterno.
Haec tibi de multis, summatim pessima uitæ
Fata meæ exposui, quæ me non scribere solum,
Verum etiam memorare piget, quæ cautior ipse
Non secus euasti, atq; olim Symplegada fertur
Euassisse uagam ductor Magnesidos Argus,
Quum Phasin peteret. Quare nō nescius horum,
Desine me infestis posthac agitare querelis,
Si mea, quod nolles, tibi carmina rara feruntur,

Et

AD DAMIAN. A GOES.

Et bonus adsuescas tandem ignoscentior esse.

Eboræ ad V I. Calend. Nouemb.

M. D. XX XV.

Ioannes Ottingerus Damiano a Goes.

Quaproperas subsiste parum, seductius audi

Rursus ad officium Musa vocata tuum.

Si fecisse aliquid studiisti rectius unquam,

Tempore nunc isto gratificare mihi.

Non canis Icarij te feruida sydera tardent,

Quo minus impositum perficiatur opus.

Est labor exiguis, restat breue tempus eundi,

Accipe, quæue domus, quisue petendus herus.

Stat domus, & uarijs intus suffulta columnis,

Porticus ante foras nulla, sed umbra tamen.

Hic habitat Phœbo gratus, Musisq benignus

Hospes, & antiquis par pietate uiris.

Prælustris genere, atq opibus, nulliq secundus

Iudicio rerum Pallados arma colit.

Non Mozenati cedit, qui natus equestri

Ordine, contentus sorte parentis erat.

Ingressura domū, tacito circumspice uultu,

Occurret subito pulchra puella tibi.

Musica nomen habet Tyrio spectabilis ostro,

Quæ lenire animos, & fera corda potest.

Forma decens, flaut crines, & eburnea ceruix,

Et Veneris quales non reor esse pedes,

In læua gestat cytharam, tenet altera plectrum,

Molle sub arguto pollice tinnit ebur.

Ede genus, nomenq tuum, mox illa modeste

Ad dominum ducet, slistet & ante pedes.

Hic

FARRAGO CARM.

Hic, ubi se pictis pandit conclave tapetis,
Poplitibus flexis talia uoce refer.
Reddite Pierijs Musis, & reddite Phœbo
Post aulæ curas o Damiane graues.
Iussit adire tuas ædes, placidosq; penates,
Nomine me iussit multa rogare suo.
Qui pueros format teneris pteceptor ab annis
Ottingerus, Amans nomen honore tuum.
Sæpe recantati data copia carminis esset,
Quale canit modulans tempore mortis olor.
Audiuisse nihil iurat se dulcius unquam,
Quam quod ab affectu pectus & ora mouet.
In quo nunc Demens titulū Clementis habebit,
Qui fuit ante ferox hostis, amicus erit.
Hæc & plura refer, uultus sua uerba sequatur,
Atq; fabiens lætis gestibus adde, Vale.

Georgius Sabinus Damiano a Goes
S. D.

Sexta pruinosi cum lux erat acta Nouembris
Dulcia percipiens gaudia nocte tuli.
Tunc, mihi despondit quā pronuba Iuno, puellam
Legitimo functus munere iunxit Hymen.
Quid lætos referam plausus, aut glorie, illo
Tempore contigerit q; mihi magnus honor?
Ad mea legatos misit connubia princeps,
Nobile qui Mogi nomen ab urbe gerit.
Quiq; uetus potens Sueuorum regna gubernat
Ampla dedit sponsæ Marchio dona meæ.
Nec minus egregio testati munere uates
Lætitie nobis signa dedere suæ.

Per

AD DAMIAN. A GOES

Per quos Argolicis & uocib. usq; latini
Musæ meo cecinit carmina digna toro.
Sed tibi iam notos quid epistola præter amores
Hæc procul arctoo, quæris ab orbe ferat?
Accipe mira quidem fictisq; simillima rebus,
Sed tibi non dubia uera relata fide.
Torrida cum rapidis arderet solibus æstas
Nuper & ætherei seruida stella canis,
Strata sub arboribus capiebat uirgo quietem
Fluminis in uitidi gramine propter aquas.
Hic ubi uitiferos interfluit Odera colles,
Fessaq; dum placido membra sopore leuat,
Clara quiescenti uox est audita puellæ,
Surge tibi magnæ, surge, dabuntur opes.
Surgit & attollens excusso lumina somno,
Haud procul astantis conspicit ora uitri.
Aurea gestabat qui longa monilia collo,
Blandaç; præmissa uerba salute dabat.
Si me uirgo tuum non dedit uirginis amantem,
Disuitijs, dixit, sola fruere meis,
Thesaurosq; tibi magnos tellure recludam.
Illa sub hæc, noster, quisquis es inquit eris.
Cumq; fidem uerbis his astrinxisset amanti,
Pristina mutatur forma repente uitri.
Hirtis crura rigent fetis, frons torua minatur
Cornua, semicaper qualia faunus habet.
Concipit, his uirgo perterrita, mente furorem,
Currit & humanis sensib. orba domum.
At iam compediens duris & uincta catenis
Se stygiæ Gazas ditis habere refert.
Exhibit argentum custodibus, exhibit aurum,
Dextera signato nec uacat ære manus.

m-

Sed

FARRAGO CARM.

Sed nisi præripiant aurum, dextramq; præhendat,
In sua per buccam uiscera condit opes.
Præterea nuper rigidæ sub frigore brume
Igne corruscantes intonuere poli.
Tristis & infaustum belli mortalib. omen
Horrida per nubes arma dedere sonum.
Estq; triplex alto conspectus in æthere Phœb.
Hesperias esset cum subiturus aquas.
Talia pro certis quæ cognita reb. habentur
Duximus esse tibi non reticenda. Vale.
Ex arce Hallensi Cal. Ianu. Anno 1537.

Figmentum Politæ.

Mercurius Deus immortalis Damiano
suo mortali S. D.

Quæ tibi felicem perfert Damiane salutem
Littera, syderei uenit ab arce poli.
Non humana ferens celeres mandata per auras,
Sedibus aut ueniant quæ tibi ab Hespertijs.
Omnipotens summi sed quæ moderator olympi
Consilio diuum Iupiter ipse dedit.
Sum Deus ille hominum custos, fidusq; Deorum
Interpres, Maiæ filius atq; Iouis.
Cuius tu numen semper ueneratus amicum
Commoda scis rebus multa tulisse tuis.
Quod si diuinæ mortalia lumina uultus
Non foret aspectum cernere posse nefas,
Ipse ego te propria compellans uoce, salutem
Coelitus adserrem & sedula iussa patris,
Sed uerat æterni reverentia numinis, ore
Aedere, quæ melius littera nostra feret:
Iupiter

AD DAMIAN. A GOES

Iupiter impulsus sociorum in uota tuotum
Audet assiduas in tua damna preces.

Hic monet ut comites statuas ne linquere fidos,
Cœptum ad iter summū qui te habuere ducē.
Sin secus, & spreto male sanus numine diuum
Vincia fodalitij solueris arcta tui.

Per cælum iurat, terram, stygiamq; paludem,
Per quæ agitat dextra fulmina sœua manu.
Pestiferas capiti tenebras uertigine tetra,
Morborum & diram suggesteret illuuiem.

Hæc ait, & totum nutu tremefecit olympum
Cogens æthereos in sua uerba Deos.

Quare age ne summi temnas mandata tonantis,
Cuius in excelsô numine cuncta manent.

Dispersumq; gregem solita ad tua pabula ducas,
Nec tibi commissas desere pastor oues.

Rumpe moras, ueterem latus proficisci Romā,
Non deerunt cœptis numina fausta tuis.

Inde Liburnorum pete regna, & amæna reuise
Mænia præclaræ (me duce) Parthen opes.

Nil dubites, magnos felicia fata triumphos
Pro meritis, spondent & pietate tuis.

Te socij implorant nullo custode relicti,
Tristiaq; assiduis planctibus ora rigant.

Splinterus febribus nuper correptus acutis
Aeger, & exhaustis uiribus inualidus,

Sustulit exangues supplex ad sydera palmas,
Proq; tua orauit sæpe salute Deos.

Villingerus item uestræ uirtutis auitæ
Aemulus, & patriæ gloria magna suæ,

Ter tria fæcundi spumantia pocula Bacchi
Exhausit, toto & proluït ora mero.

in Christo.

FARRAGO CARM.

Christophorus fauces Erebī manēsq̄ silentum
Sollicitare tuum haud destitit ob redditum.
Ipse Paludanus diuīna carmina uoce
Lusit, & argutos reddidit ore sonos.
Quid memorem curis uacuum Damiane Politen,
Cultor amicitiæ qui fuit usq; tuæ?
Cum ausus sit Aonias interpellare camænas
Ut facerent nostro te ducem adesse choro.
Idem alij exoptant capti regionis amore
Visendæ, & studio forsan Italiam.
Ergo iter incoepsum, & communis seu bona uitæ
Seu mala cum socijs arripe (ut ante) tuis.
Nil te Pontificis nil purpureiue Senatus
Sedibus a solitis commoueant abitus,
Nil sceleratorum tangat maledicta uirotum,
Nil tuus aut moueat non periturus honos.
Ipse ego apud magnos pro te peragam oīa reges,
Ipse malis poenam suppliciumq; feram.
Principibus gratum reddam, populicq; fauorem
Captabo, & tecum numina summa traham.
Nomen in omne tuum fama celebrabitur æcum,
Et uiues patriæ spesq; salusq; tuæ.
Datum ex cælo Empyreo i. 2. Aprilis,
Anno 1539.

Clarissimo uiro Damiano a Goes Equiti
Lusitano Ioachimus Polites. S. D.

Inclita, que magnum uolitatem tua scripta per orbem
Dum legimus, claris nobilitata uiiris.
Prælia longinquis Gangetica gesta sub oris,
Indus ubi rapidas in mare uoluit aquas.
Dum

AD DAMIAN. A GOES.

Dum Lusitanas acies, inimicæ castra
Turcarum ferro depopulata refers.
Divinum Damiane heros, miramur acumen
Mentis, & ingenij maxima signa tuæ.
Miramur Latias facundæ Palladis artes,
Doctæq; Pierio pectora digna choro.
Ante oculos siquidem tanto ordine singula ponis
Integer historica, cum grauitate, fide.
Ut qui forte eadem præsens spectauerit olim,
Nunc absens iterum cernere scripta queat.
Qui uero illa nec audierit, neq; uiderit unquam,
Luminibus credat præuia facta suis.
Dictus eras nobis prudens uelut alter Vlysses
Consilio, & resum cognitione, prius.
Qui mores hominum uarios, qui prouidus urbes
Innumeræ terra uideris atq; mari.
Quiq; per infestos fatali sorte labores
Europæ longa s mensus es orbe uias.
At postq; ingenij tua mens præclara diserti
Perpetuo dignum hoc nomine fecit opus.
Protinus excelsas iuit tua fama per aures
Doctorum, nulla deperitura die.
Quicq; prius fueras rerum usu & pectore prudēs,
Nunc etiam doctis doctus habere uiris.
Felix illa quidem est, & terq; quaterq; beata
Patria, quæ eloquio sit decorata tuo.
At tu uel patria longe es felicior alma,
Dum uiuis studijs clarus ubiq; bonis.
Non tua maiorum titulis ita nixa recumbit
Gloria, quæ priscis fulget imaginibus.
Non fragiles animus celsus lectatur honores,
Nec sequitur famæ nomina uana suæ.

Sola

FARRAGO CARM.

Sola tuos certat uirtus superare parentes
Sola cupit uerum laude parare decus.
Macte igitur uirtute tua Damiane decora,
Artibus, & docto pectore, macte bonis.
Pande pharetratas duro certamine turmas
Antipodum foeda terga dedisse fuga.
Quassataq; rates Erythræo ab littore uectas,
Claræq; uictri ci parta trophæa manu.
Víctor agat laetos Solyma de gente triumphos
Miles, & auriferi terra beata Tagi.
Hesperiæ populos perge illustrare potentes,
Dum licet, æterna candidus historia.
Sic tibi perpetuum crescat per sæcula nomen,
Sic dabitur meritis gloria digna tuis.
Sic quam nulla queat post fata abolere uetus tas,
Immortalis eris posteritate tua.
Vives æterno fama memorabilis æuo
Dum uagus ætherias sol teret orbe uias.
Patauñ Calend. Decemb. 1539.

¶ In Clarissimi & Ornatisimi Equitis
Damiani a Goes filium Emanue
lem Petri Nannij Ge
nethiacum.

Tandem læta dies Erythræo digna lapillo
Aduenit, & patrem te Damiane facit.
Ominis haud uana est tanta hæc clementia cæli,
Quæq; sua ex hyeme nubila nulla tenet.
Indulxit natura tibi, brumæq; nouauit
Tempora, uernali dulcia temperie.
Quoc; magis posses cognoscere munera diuæ,
Quamq; haud fortuitis casibus istud agat,
Antea

AD DAMIAN. A GOES.

Antea ab hymbris feris maduerunt omnia nimbis
Nulla uel a pluvijs hora serena fuit.
Vt metus adfuerit, ne naufraga terra uetus
Deucalioneas perpetueretur aquas.
Sed postq; in lucem processit pusio dulcis,
Omnia mutata clara fuere uice.
Nil Louis in uultu residet mœstumq; minaxq;
Nec frontem placidam sœua procella tegit
Vt matrem soueat, simul ut puerum ipse salutet
Maiale arridens fundit ab axe iubar.
Nil mirum, dedit Alcionis, cum parturit oua,
Incubitus foedis hymbris ut careat.
Haud equum fuerat tibi si Damiane negaret
Quod caput ex ipso parua quotannis auis.
Sed puerο blandus nitidissima lumina spargit,
Auspiciū ut faciat firmiter inde bonum.
Hymbre madet cœlū, quoties miser editur infans,
Gaudia presagit lux sine nube micans.
Adiuuat augurium tam sanctum nomen, ut inde,
Ad quæ sit genitus fata puer, uideas.
Nobiscum Deus est Hebreæ uoce notatur,
Accepit nomen quod tuus Emanuel.
Parca quod adneuit, cognata uocabula monstrant,
Sic distractus equis rumpitur Hippolytus.
Sic Agamemnon habet diuturni prælia Martis,
Atq; moras belli nomine significat.
Exitium sonat ipse suum de nomine, primus
Qui cecidit Phrygia Protesilaus humo.
Sic Eua uiuentum genitrix, sic Moses ab undis
Liber ab euentu nomina digna gerit.
Sic erit Emanuel diuis comitatus ubiq;
Atq; satissaciet nominis officio.

Cresce

FARRAGO CARM.

Cresce puer, patremq; refer, sint numina tecum
Præsidioq; Dei quicquid ages, facias
Regibus atq; Deis commune hoc nomen habetur
Quod natalitij accipis augurij.
Sit mens cœlestis, sit semper numine plena,
Regius in magno pectore sitq; animus.
Te Lusitanum, Bathavum, simul atq; Brabantum
Noris, & has terras esse tuam patriam.

¶ Clarissimo viro Damiano a Goes Ioa-
chimus Polites S. D.

Tandem post uarias profectiones
Post discrимina mille, post labores
Transactos Damiane terra & alto
Magnos, Italcis reuersus oris
Neptuni in patriam & repleta uentis
Horrendis loca ueni, ubi Eurus atro
Regnat turbine, & arua lata perflat.
Olim hæc diuitijs superba magnis
Terra antiqua fuit, potens, & agri
Nullis fertilitate cessit oris.
Hæc castos peperit mihi parentes,
Hæc ortum dedit, hæc tulit salutem.
At nunc aggeribus dolenda ruptis,
Quos stridens Aquilone sanguine
Fluctus dispulit in mare, obruta altis
Vndis tota iacet, suo nitore
Priuata arboribus, uirentibusq;
Pratis, graminibus, satiscq; flauis
Gratis agricolis, nouisq; aristis.
Postremo cerealibus per arua

Spartis

AD DAMIAN. A GOES

Sparsis pinguia destituta donis
Tutus piscibus est locus marinis.
Ventorum hic dominatur arce princeps
Quos motos premit & ciet silentes.
Hic Nereus habitat senex uerendus
Antro terribilis iacens profundo.
Hic concha tumidum caua per æquor
Triton uestus agit, chorusq; Glauci
Inousq; Palæmon, atq; turba
Phorci. Quin etiam suis tridenti
Sublimis solio sedens superbo
Neptunus, pater æqua iura reddit.
Et ponto patriam obrutam gubernat.
Multa hic monstra etiam latent ferarum
Visu horrenda, tetra & timenda cunctis.
Hic pro diuitijs & ocio alto,
Pro pace & requie atq; sanitate.
Nunc discordia regnat inter omnes
Notos perpetua, inter & propinquos.
Hic tristes habitant ubiq; morbi
Febres, profluvia alui, & atra pestis;
Quam mors pallida, dura & improuisa
Persæpe insequitur, trahitq; secum
Mortales iuuenes, senes, & omne
Vitales quod in orbe carpit auras,
Quin & tristitia hic & inquieta
Mens, hic sollicitudines molestæ,
Hic curæ innumeræ, famæ, egestas,
Extremæq; habitant necessitates,
Fortasse & Stygiam haud procul paludem
Ardentem & Phlegethonta abesse, & atra
Ditis regna, Chaos, lacumq; Auerni, &

FARRAGO CARM.

Vmbras credibile est (puto) silentes,
Nil sani hic, nil est boni expetendum,
Sed nostræ potius uices dolendæ
Terræ, quæ tumidis aquis operta
Est. En ipse ego qui omnibus beatus
Et felix patrijs uidebar oris,
Et multum antea posse iudicabar,
Nunc plane inualidus febri, & grauatus
Toto corpore spiritum imbecillem
Duco cum gemitu æger & dolore.
Quare si potes oro amice, ut istis
Liberare malis molestijs
Medigneris, & ad meam reducas
Confuetam facilemque alacritatem,
Quæ morbi grauitate nunc adempta est.
Sat uitæ & scelerum malignitati
Pœnarum dedimus, sat est iniqua
Sorte actum in miserum istum homuncionem.
Hanc Scyllam effugere (heu) sine & charybdim.
Hanc pestem patiare præterire
Et tetram illuuiem, tua salubri
Cura, consilio, & benignitate,
Quæ lites mihi mille concitauit,
Quæ nostra omnia quantacunq; ademit,
Quæ uitam eripuit prope & salutem.
Vale & me (ut soleas) amare perge.
Ex Goessa undecimo die Decembris.

Toto pectorè deditus. Polites.

AD DAMIAN. A. GOES

¶ In redditum e Gallia D. Damiani a Goes
Equitis Lusitan, uiricq; eximij,
Ioaninis Berzosæ
gratulatio.

Ergo ades o Damiane tuis optatus amicis?
Iamq; diu misero uisus abesse mihi.
Ergo ades incolumis nostras appulsus in oras?
Ergo nimis rigido liber ab hoste redis?
Ergo Deus, curæ cui sunt tua, tuq; benigna
Sedulus assiduas audiit aure preces?
Sic est, ille tuos casus miseratus iniquos,
Depulsis tenebris reddidit ecce diem.
Eia ueni, nostrosq; choros comitare, moraris,
Et nimium differs gaudia nostra, ueni.
Lucifer o Damiane ueni, mactare bidentes
Conuenit, atq; pio thura adolere Deo.
Exultant musæ, terram pede pulsat Apollo,
Et ducit festos casta Minerua choros.
Obuiaq; occurrit Cypro, Cytherea relicta,
Inq; mari plausus excitat ipsa Thetis.
Succinctæ myrto procedunt tempora Nymphæ,
Et cupiunt ori procubuisse tuo.
Gratia ad amplexus geminas uocat una forores,
Et medio ostendunt corpora nuda die.
Quid fortuna pudet? quid te crudelis Enyo?
Cur non obsequij uos quoq; iura datis?
Vtraq; non mirum, cæca est Damiane, sibiq;
Verba dat, & falso te superasse putat.
Haud hilares uultus, haud sannam naris aduncæ,
Casibus haud cernit te superesse tuis.
Haud quantū aduersa uirtus tua forte probata est,
Nec quanto casu, plus ualeat illa, uidet.

n ij Nam

FARRAGO CARM.

Nam ueluti Antæo, si quando cadebat, in hostem
Alma parens uires suppeditabat humus.
Non secus ipse tua, sed non dicenda ruina est,
Firmior inuerso stas Damiane gradu.
Pectoraque a fastu gestas aliena superbo,
Ut prius & laeto regnat in ore decor.
Si petis, haec causa est, cur sis tam gratus amicis,
Quos tibi deuotos hec habet ora tuis.
Quos tua tam letos omnes presentia reddit,
Principe quod laeta hec terra futura suo est.
Cum te non nossem, faciebat fama, uidendi
Ut desiderio tangerer ipse tui.
Nunc euperem e lingua semper pendere diserta,
Accipere, atque tuis mutua uerba dare.
Sed quia non licet hoc, nimis officiosa uoluntas
Dictauit Musæ talia uerba meæ.
Sic loquar, ut potero, sic non explenda cupido
Carmînibus nunquam est impositura modum.
Quid faciam Damiane? mea est temeraria musa.
Et fauet ingenio plus satis illa meo.
Forsan & illa sui domini quoque gaudia sentit,
Quod se in carceribus continuisse nequit.
Atque ignara tuis quod sit uirtutibus impar,
Morigera hoc pacto nititur esse mihi.
Dij Damiane tibi dent, ut potiare cupitis,
Contentus studijs, nominibusque tuis.
Atque ijs diuinitijs, tibi quas fortuna reliquit,
Sub lare cum chara coniuge posse frui.
Et mihi Calliope det eas in carmina uires,
Ut ualeam culto grandius ore loqui.
Vt raga te nostro celebrem Germania uersu
Occidua Herculei mittet in ora freti.

Gerar.

AD DAMIAN. A GOES.

Gerardi Auidij, in Iosquinum a Pratis Mu
sicorum principem Næmia.

Musæ Iouis ter maximæ
Proles canora plangite,
Comas cypressus comprimat,
Iosquinus ille ille oceidit,
Templorum decus,
Et uestrum decus.

Sæuera mors & improba
Quæ templa dulcibus sonis
Primas, & aulas Principum.
Malum tibi quod imprecer,
Tollenti bonos,
Parcenti malis.

Apollo sed necem tibi
Minatur, heus mors pessima,
Instructus arcu & spiculis,
Musasq; ut addant commonet,
Et laurum comis,
Et aurum comis.

Iosquinus (inquit) optimo
Et maximo gratus Ioui
Triumphat inter cœlites,
Et dulce carmen concinit.
Templorum decus,
Musarum decus.

Epitaphium Ioannis Okegem Musici sua
tempestate summi, per Polyhisto
rem Philomusum.

Ergo neconticuit
Vox illa quondam nobilis,

Aurea

FARRAGO CARM.

Aurea uox Okegī
Sic Musicæ extinctum decus?
Dic age,dic fidibus
Tristeis Apollo Nænias.
Tu quoq; Calliope
Pullata cum sororibus
Funde pias lachrymas,
Lugete quotquot Musices
Dulce rapit studium.
Virumq; ferte laudibus,
Artis Apollineæ
Sacer ille phœnix occidit.
Quid facis inuida mors?
Obmutuit uox aurea,
Aurea uox Okegī,
Vel saxa flectere efficax,
Quæ toties liquidis
Et arte flexilibus modis
Per sacra tecta sonans,
Demulcet aureis cœlitum,
Terrigenumq; simul,
Penitusq; mouit pectora.
Quid facis inuida mors?
Vel hoc iniqua maxime,
Aequaq; omnibus es.
Sat erat tibi promiscue
Tollere res hominum.
Diuina res est Musica
Numina cur uiolas?

FINIS.

